

Iohannes Gallensis, *Florilegium de uita et dictis illustrium philosophorum* (Roma, 1655)  
(*Compendiloquium de uitis illustrium philosophorum et de dictis moralibus eorundem*)

FLORILEGIUM,  
SIVE  
COMPENDILOQVIVM

Comment [c1]: Pg.1

De uita, et dictis notabilibus, atque exemplis imitabilibus illustrium Philosophorum.

\* \* \* \* \*

CAUSA SCRIBENDI.  
PROOEMIUM.

Comment [c2]: Pg.19

1 Cvm ex uita honesta Gentilium, et operibus uirtuosis eorum, merito redargui possit imperfectio Fidelium, minus perfecte uiuentium, Isaia attestante 23. *Erubescite Sydon, ait mare*: Super quod Gregor. lib. I. moral. post princip. In *Sydone*, inquit, significatur stabilitas in lege positorum, in *mari* uita Gentilium. *Erubescite ergo Sydon, ait mare*, quia ex uita Gentilium redarguitur uita sub lege positorum, atque ex actione saecularium redarguitur uita religiosorum, dum illi, etiam promittendo, non seruant, quae in praeceptis audiunt, et isti uiuendo ea custodiunt, etiam in quibus nequaquam mandatis legalibus astringuntur. Haec ille. *Gentes enim, quae legem non habent, dum ea, quae legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex*. Rom. 2. Vnde operae pretium duxi in hac collectione dicta notabilia philosophorum, et exempla uirtuosa imitabilia colligere, licet sim philosophiae ignarus, a perfectione philosophica alienus, sermone imperitus. Haec enim ualde conducunt ad animorum stimulationem, et incitationem, ad eorundem informationem, ad uilis erubescitiae, ducentis ad gloriam, inductionem in minus habentibus, nolentibus praedictos philosophos imitari, et ad elationis cordis et arrogantiae repulsionem, ac humilitatis exhortationem in uiris perfectis. Quamuis etenim hi magna et ardua operentur propter Deum, ista docent, ne extollantur, cum audiunt, et legunt Gentiles exercere opera perfecta (prout possunt esse perfecta sine fide operante per dilectionem) et multa sustinere propter honestatem, uel gloriam humanam. Sic enim, ut arguit S. Augustinus 5. de ciuit. Dei cap. 18. postquam narrauit magnifica, quae contempserunt, mirifica, quae gesserunt, et terrifica, quae sustinuerunt Romani Principes pro Republica custodienda, et promouenda, ita concludit: Proinde per illud imperium tam latum, tamque diuturnum, uirorum tantorum uirtutibus praeclarum, atque gloriosum, et illorum intentioni merces, quam quaerebant, est reddita, et nobis proposita necessariae commonitionis exempla, ut si uirtutes, quarum istae utcumque sunt similes, quas isti pro Ciuitatis terrenae gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima Ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur; si tenuerimus, superbia non extollamur. Haec ille optime deducit, cum scilicet mira et magna illi fecerint, sicut ibi exemplificat, et hoc pro gloria terrena. Item Chrysostomus super Matth. homil. 17. ante finem: Recogitate, inquit, Graecorum philosophos, et tunc scietis, quanto supplicio simus digni, qui leges diuinas transgredimur, quando illi quidem pro destrueda deformitate humana tam multa fecerunt, scilicet bona opera; uos autem neque idem studium tribuistis pro caelestibus. Haec ille.

Comment [c3]: Pg.20

Comment [c4]: Pg.21

Comment [c5]: Pg.22

2 Non ergo ex temeraria praesumptione, nec ex uana curiositate, nec ex ambitiosa ostentatione dicta et exempla praedictorum philosophorum sunt hic collecta; sed ex causis dictis,

et ad aedificationis spiritualis occasionem, omittendo noxios errores, inanes quaestiones, et inutiles opiniones philosophicas; vt enim ait Seneca epist. 10. Non est quod mireris ex eadem materia suis unumquemque studiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quaerit, canis leporum, apes legunt flores. Sic inquit Cicero lib. I. Tuscul. quaest. an. fin. Hinc depraehendit Astrologus materiam, hinc Grammaticus, hinc Philosophus: alius enim alio curas suas transfert; quasi dicat, quilibet depraehendit quod arti suae conuenit. Sic omissis curiositatibus philosophicis, quae sunt aedificatoria, et proficua ad morum correptionem, Saluatoris gratia illustrante, et dirigente, hic colligemus. Vniuersam enim philosophiam Socrates ad dirigendos, componendosque mores flexisse memoratur, ait Augustinus 8. de ciuit. cap. 2. Sic etiam Sancti fecerunt in libris suis authenticis; coaceruarunt enim egregia dicta philosophorum, et eximia exempla inter sacras suas sententias. Sic August. in libris de ciuit. Dei, et in aliis suis operibus, et Hieronymus contra Iouinianum, et in variis epistolis. Vnde idem Hieronymus epist. 60. ait, quod Dauid extorsit de manu hostis gladium, et Goliae caput proprio mucrone truncavit. I. Reg. 17. in figuram quod philosophi propriis dictis conuincuntur. Vnde et ibidem ait Hieronymus, quod philosophia figuratur per mulierem captiuam, cuius capitis supercilia, pili, et vngues amputanda sunt, et sic ducenda in coniugem, de qua Deuter. 21. Vnde ait ibi Hieronymus: quid ergo mirum, si ego sapientiam saecularem propter venustatem eloquii, et membrorum pulchritudinem de ancilla, atque captiua Israelitem facere cupio; et quidquid in ea est monstruosum idololatriae, voluptatis, erroris, vel libidinum praecido, vel rado, et mixtus purissimo corpori immaculatos ex ea filios genero Domino Sabaoth? Labor meus in familia Christi proficit. Haec ille; et ibi enumerat multa exempla de Sacris Doctoribus, qui vsi sunt philosophia saeculari ad Ecclesiae vtilitatem.

Comment [c6]: Pg.23

3 Et si quis obiiciat, quod idem Sanctus Hieronymus ductus ad tribunal Christi, et ibi verberatus adiurauit, numquam se lecturum libros infidelium, prout ipse narrat ad Eustochium epist. 84. Posset dici, salua sententia meliori, opinado, non asserendo, quod Sacra Scriptura fuit interpretanda eodem Spiritu, quo condita, sicut ipse Hieronymus insinuat epistola 35. Ipsum ergo impleuit Deus de Spiritu suo, vt esset Sacrae Scripturae verus interpret, fidelis expositor, et vt Sacram Scripturam interpretaretur debito sermone congruente Sacrae Scripturae. Vt ergo ipse non confideret in Sapientia humana, vel eloquentia saeculari, sed vt totaliter imitaretur Spiritum Sanctum; et vt ipsa Sacra Scriptura exprimeretur, et exponeretur non eloquentia curiosa, sed sermone communi, et simplici (vt enim ait Gregorius in prologo Moralium: per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosae loquacitatis leuitas studiose compescitur, dum in templo Dei lucus plantari prohibetur. Deuter. 16.) ideo dispensatiue praemuniuit eundem, et cohibuit, ne studio philosophiae saecularis superflue vacaret. Sic et ignaros scientiae saecularis, et illustratos spiritualiter elegit ad Apostolicam dignitatem, et Euangelicae praedicationis dispensationem, vt quidquid magnum esset et facerent, ipse in eis esset, qui faceret, ut ait August. 8. de Ciuit. Dei c. 8.

Comment [c7]: Pg.24

Comment [c8]: Pg.25

Comment [c9]: Pg.26

4 Quin itaque veritates contentae in libris Gentilium, quas eis Deus ex sua summa bonitate reuelauit (*Deus enim eis reuelavit.* Rom. 1.) possint assumi ad illuminationem animarum, et ad expressionem, et testificationem, atque confirmationem veritatum contentarum in Sacra Scriptura, sicut eis deseruientes ad morum correptionem, nullum est inconueniens. Sicut enim filii Israel abstulerunt aurum et argentum de terra Aegypti. Exod. 12. ita sacri Doctores possunt assumere liberales disciplinas usui veritatis aptas, et quaedam morum praecepta, vt ait Aug. 2. de doctr. Christ. ante finem; et exemplificat Hieronymus epistola supradicta, et epistola 68. de multis Doctoribus sic facientibus. Vnde Iulianus Apostata, volens subuertere Ecclesiam Dei, interdixit filiis Galilaeorum; (sic enim Saluatoris nostri cultores nominabat) Poetarum,

Comment [c10]: Pg.27

Rhetorum, Philosophorum legere disciplinas: propriis, inquit, pinnis secundum prouerbium vulneramur, ex nostris armati conscriptionibus contra nos bella suscipiunt, vt dicitur lib. 6. c. 17. hist. Tripart. Ob vtilitatem enim talium disciplinarum eas recte vtentibus voluit illas prohibere.

5 Exemplo ergo Sacrorum Doctorum quaedam morum praecepta, et quaedam veridica dicta, ac aedificatoria exempla illustrium aliquot philosophorum, ipsa veritate (*quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*) illustrante, ex ipsius adiutorio ad illius honorem, et suae veritatis attestationem, et aedificationis animarum occasionem hic colligentur, et **subscribentur**. Et quia praedicti philosophi per ipsam philosophiam, Deo eis reuelante, fuerunt illustrati, et nobilitati (philosophia enim Platonem non accepit nobilem, sed fecit, ait Seneca epistola 45.) ideo incipiendum ab ipsa philosophiae cognitione.

Comment [c11]: Pg.28

## PARS PRIMA.

Comment [c12]: Pg.29

### CAP. I.

#### *Quid sit philosophia secundum rei, et nominis interpretationem?*

1 Circa primum notandum, quod diuersimode describitur philosophia: est enim philosophia amor Sapientiae, ait Aug. 8. de ciuit. Dei cap. I. et Boetius in Arithmetica in princ. et idem Aug. alibi contra Academicos lib. 2. cap. 3. Vel philosophia est cognitio entium secundum quod entia sunt, vel diuinarum, humanarumque rerum cognitio, ait Damascenus in Logica cap. 49. Huic vltimae definitioni addit Gondisaluus in lib. de ortu scientiarum, cum studio sancte viuendi. Item philosophia est studium corrigendae mentis, vel appetitio rectae rationis, vel studium veritatis, vt ait Seneca epist. 92. ubi multum **de hoc**. Vel philosophia est assimilatio Deo, secundum quod possibile est, Damasc. vbi supra. Vel philosophia est, secundum Platonem in Phaedrone, cura, et studium, et sollicitudo mortis, id est mortificatio carnalium desideriorum, vt ait Alpharabius de diuisione philosophiae, et Gondisaluus vbi supra, vt amplius patebit infra. Vel philosophia est sui ipsius ab homine cognitio, vel affimilatio operibus Creatoris gloriosi, et sublimis perceptio veritatis, vt ait idem Alpharabius. Vel philosophia est honestas vitae, studium bene viuendi, meditatio mortis. Vel philosophia est disciplina rerum, quae verae sunt, suamque immortalem substantiam sortiuntur, secundum Pythagoram, ait Hugo Didascal. lib. I. Vel est disciplina, omnium rerum humanarum, atque diuinarum rationes plene inuestigans.

Comment [c13]: Pg.30

2 Secundum vero nominis interpretationem, philosophia est amor sapientiae secundum Aug. 8. de **Ciuit. Dei cap. I.** vbi ait: Ipsorum nomen, si Latine interpretemur, amorem sapientiae profitemur; et fuit, inquit, inuentum a Pythagora: nam, vt ait lib. 8. cap. 2. cum antea *Sapientes* appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitae aliis praestare videbantur, iste interrogatus quid profiteretur? philosophum se esse respondit, idest studiosum, vel amatorem sapientiae, quoniam sapientem se profiteri sibi arrogantissimum videbatur. Haec ille. Idem 3. confess. cap. 4. vbi ait, quod nomen est Graecum, et dicitur amor sapientiae. Idem in lib. de ordine: Philosophus est amator veritatis, nisi mentiatur nomen, *Sophiam*, id est, sapientiam amans, Philosophus est, ait Commentator Eth. I. Idem Tull. lib. 5. Tusc. quaest. post princip. et idem Hugo Didascal. lib. I. cap. 3. vbi bene de hoc. Consimilibus modis definitur philosophia, seu describitur a multis, sed ad praesens hae definitiones sufficiunt.

Comment [c14]: Pg.31

*De diuisione Philosophiae et quibus modis dicitur?*

3 Et quoniam praedictae definitiones sunt philosophiae diuersimode acceptae, ideo videndum est de diuisione philosophiae: et supposita sua diuisione a philosopho in Naturalem, Mathematicam, et Metaphisicam lib. 6. suae philosophiae, siue in Speculatiuam, et Operatiuam; et supposita diuisione multimoda data ab Alfarabio in lib. de diuisione philosophiae, solum hic agatur de diuisione illius, prout diuiditur a Sacris Doctoribus. Ait enim August. 8. de Ciuit. Dei cap. 4. quod eam distribuit Plato in tres partes, scilicet Moralem, quae in actione versatur; Naturalem, quae contemplationi deputata est, Rationalem, qua verum distinguitur a falso. Idem August. 38. epist. ad Dioscorum. Idem Hugo super Ecclesiasten hom. I. vbi ait, apud Gentiles philosophos prima Ethica, secunda Phisica, tertia Theologia (quae eadem est cum naturali) proponebantur instruendis. Specialius tamen de hoc prosequitur idem Hugo super Angelicam Hierarchiam in principio, vbi ait, quod philosophia in tres partes secatur, scilicet Logicam, quae vim, modicumque ratiocinationum veri, ac falsi iudicium assumpsit; Ethicam, quae modum viuendi rectum, et disciplinae formam, secundum virtutum instituta, disponit; et Theoricam, quae sola verum in omni, quod est, et non est, scrutari elegit. Et huius sunt tres partes, scilicet Mathematica, quae speculatur visibiles rerum formas, et Physica, quae speculatur visibilium causas, et Theologia, quam vocat Metaphisicam, quae contemplatur inuisibiles substantias, et inuisibilium substantiarum inuisibiles naturas.

Comment [c16]: Pg.33

4 Praedictae ergo definitiones conueniunt philosophiae, aliter, et aliter acceptae. Vnde ad euentiam dicatorum, et dicendorum notandum quod philosophia diuiditur quadrupliciter: vel prout dicitur nobilissima scientia rerum nobilissimarum, et sic appropriatur scientiae nobili apud philosophos, quae dicitur prima philosophia. Ipsa enim est nobilior quam aliae scientiae, et debet dici philosophia proprie, sicut ait ipse philosophus lib. 3. suae Metaphisicae. Vnde philosophia est ars artium, et disciplina disciplinarum, vt ait Alfarabius citatus. Vel dicitur philosophia communiter, prout se extendit ad Logicam naturalem, et Mathematicam, de quibus supra; et sic vtimur communiter nomine *Philosophiae*. Vel dicitur philosophia simplex viuendi modus, et rudis contentus necessariis ad sustentationem, secundum quod ait Seneca loquens de philosophia. Vnde epistola 90. ait quod philosophia est qua bene viuimus. Et sequitur. Ego hanc philosophiam iudico non magis excogitasse has machinationes tectorum supra tecta surgentium, et vrbes prementium, quam viuaria piscium in hoc clama, vt tempestarum pericula non adiret gula. Nec philosophia docuit homines habere clauem, et feram, et quidquid aliud erat auaritiae signum. Et sic de omnibus curiositatibus vitae humanae ibidem prosequitur, vnde ait: crede mihi, foelix illud saeculum ante architectonas fuit. Ista nata sunt, iam nascente luxuria. Et sequitur, omnia ista, scilicet aedificiorum curiositates, cibariorum delitias et vestium luxurias, sagacitas hominum, non sapientia inuenit, prout ibi prolixè prosequitur. Vel philosophia dicitur studium virtutis, vel studium corrigendae mentis vel amor sapientiae verae, prout dictum est prius: et secundum istam acceptionem loquuntur philosophi de philosophia, quae mores corrigit, vitam ordinat, et regit, affectus internos cohibet, et domat. Vnde Seneca epist. 88. vbi loquitur multum de studiis liberalibus, et de partibus philosophiae, ait: Liberalia studia dicta sunt, quia libero homine digna sunt. Vnum est studium vere liberale, quod liberum facit, hoc est *sapientiae*, sublime, forte, magnanimum. Et sequitur; Quare liberalibus studiis filios erudimus? non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant. Et post. Quatuor esse artium genera Possidonius ait. Sunt enim vulgares, et sordidae sunt

Comment [c17]: Pg.34

Comment [c18]: Pg.35

Comment [c19]: Pg.36

ludicrae sunt pueriles, sunt liberales. Vulgares sunt quae manu opificum constant, et ad instruendam vitam occupatae sunt, in quibus nulla decoris, nulla honesti simulatio est. Ludicrae sunt, quae ad voluptatem oculorum, atque aurium tendunt. Pueriles sunt, et aliquid habentes simile liberalibus, quas Graeci alio nomine, nostri **liberales** vocant, scilicet triuiales et quadriuales, vt ibidem exemplificat. Solae autem liberales sunt imo, vt verius dicam, liberae, quibus curae virtus est.

Comment [c20]: Pg.37

5 Ex his patet, quod philosophi loquuntur de philosophia, quae est studium virtutis, vt dictum est supra. Vnde ipsa est ars artium, disciplina disciplinarum, ait Alpharabius supra. Est enim vnicum munus dictorum, et disciplinarum secundum philosophos, prout dicitur in Politica lib. 8. cap. 5. Qualiter autem artes, scilicet triuiales, et quadriuales valent ad istam philosophiam, licet non sint partes eius, Seneca proprie manifestat epistola dicta, bene dicens, quod multa adiuuant nos, nec tamen sunt partes nostrae; sicut cibus adiutorium est corporis, non tamen pars corporis. Sic Geometria est necessaria philosophiae, sicut faber necessarius Geometriae, scilicet quia praeparat ei instrumenta, quibus vtitur in **arte** sua; et sicut iste non est pars Geometriae, sic nec illa philosophiae, scilicet vltimo modo dictae: et sic de aliis talibus artibus: praeparant enim aliqua, quibus philosophia vtitur, prout ibi bene exemplificat, et epistola sequenti scilicet 89. vbi loquitur de philosophia, et de partibus eius: dicens, quod philosophiae tres sunt partes, scilicet Moralis, quae componit animum, et Naturalis, quae rerum naturam perscrutatur; et Rationalis, quae verborum proprietates exigit, et structuram, et argumentationes, ne pro vero falsa subreant, de quorum subdiuisionibus ibi prosequitur bene, vbi ait, nec philosophia sine virtute, nec sine philosophia virtus; philosophia namque est studium virtutis, cohaerentque inter se philosophia et virtus. Non est ergo philosophia data contemplationis gratia, sed vt boni fiamus, prout ait philosophus Ethic. I.

Comment [c21]: Pg.38

### **CAP. III.**

Comment [c22]: Pg.39

#### *De symbolica descriptione Philosophiae sub typo mulieris.*

6 Consequenter prosequendum est de Symbolica descriptione philosophiae: sub typo enim, et similitudine mulieris describitur a philosophis, sicut et sapientia figuratur per mulierem Prou. 7. *Dic Sapientiae, soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam.* Vnde et Boetius describit eam sub specie mulieris I. de Consolat. cap. I. Dicens, quod sibi visa est *mulier admodum reuerendi vultus, oculis ardentibus*, ac sic de aliis ornamentis eius, ac decentiis. Quae descriptio quia egregia est, et vtilis, expositiones antiquorum subscribentur. Sub specie *mulieris*, ait antiquus expositor, siue commentator, designatur, quia emollit animorum ferocitatem, vel quia lacte nutrit nutritioni idoneos, **vel quia assidere scit aegris**: haec enim opera sapientis mulieris sunt, *et haec visa super vertice* quia de Deo tractat, vel quia in capite sedes eius: *reuerendi admodum vultus*, quia philosophos facit reuerendos: *oculis ardentibus*, oculi philosophiae ratio, qua percipit res corporales, et intellectus, quo percipit incorporalia: qui dicuntur *ardere* feruore intelligendi et inuestigandi, *vltra communem hominum valentiam perspicacibus*, quia vltra sensum communem, et imaginatiuam, et aestimatiuam penetrat intelligibilia. *Colore viuido atque inexhausti vigoris*, quia eloquentia venusta, ornata ornatu Rhetorico, et quia nemo attingit secreta philosophiae, quin aliquid restet inuestigandum: dicitur *aut plena, ita vt nostrae non crederetur aetatis*, quia vigore valida, et maturitate plena: *Statura discretionis ambiguae*, quia aliquando agit de regimine, et praeceptis morum, vt in Ethica;

Comment [c23]: Pg.40

aliquando de arcanis caelestium, vti in Theologia, siue Metaphisica. *Nunc vero pulsare coelum etc.* quia vsus ad cognitionem Creatoris tendit. *Hominum intuitum frustrabatur*, quia ad eam attingendam perfecte deficit intellectus humanus. *Vestes tenuissimis filis*, id est rectis sentiitiis, *subtili artificio*, id est composito modo, et ornato in procedendo. *Indissolubili materia*, cui non potest contradici: vel per *vestes* artes triuiales et quadriuiales significantur. *Quas suis manibus texuerat*, id est suo artificio composuerat. *Veluti fumosas imagines*, ratione obscuritatis, *caligo quaedam neglectae vetustatis obduxerat*, negligentia scilicet, et ignorantia veterum rerum, seu antiquitatis. *Harum in extremo margine P. Graecum, in supremo vero T. legebatur intexta*, per quas litteras theorica et practica indicantur. *Et inter litteras gradus*, scilicet ascendendo de scientia in scientiam. *Eamdem vestem violentorum sciderant manus*, quia vnam scientiam esse perfectam sine alia quidam putant. *Dextera quidem libellos, sinistra sceptrum gestabat*, quia sapientibus debetur regnum, et studium principalius, et ideo in dextera gestabat libellos: debet enim praesidens instruere subditos per sapientiam, et debet rebelles castigare per disciplinam, ideo sceptrum in sinistra: *Haec vt vidit poeticas musas nostro choro assistentes, et scientias meretriculas*, id est, lucratiuas scientias, *commota fuit*, scilicet indignatione: *sed in extrema parte lecti*, id est, intellectu rationali: prima enim pars potest dici cognitio sensualis, quae disponit, et praeparat, secunda cognitio imaginatiua, tertia cognitio intellectualis, in qua sedet philosophia vera. Merito ergo philosophia descripta est sub typo mulieris modo praedicto.

Comment [c24]: Pg.41

7 Consimiliter sub typo mulieris describit eam Macrobius lib. I. Saturnalium, in principio dicens, quod ipsa tamquam censoria quaedam est et verecunda Matertera, vt dicitur infra. Cum ergo ipsa Philosophia sit nobilitate ingenua, quia filia Dei: *omnis enim sapientia a Domino Deo est*. Eccles. I. et cum sit sanctitate incorrupta, et pura: *nihil enim inquinatum incurrit in illam* Sap. 7. et cum sit diuitiis variis opulenta: *infinitus enim thesaurus est* Sap. 7. et cum sit regni aeterni haereditaria, et recte vtentis ea ad regnum ductiua, et amicitiae, et dilectionis diuinae imperitiua Sap. 9. *amicos Dei, et prophetas constituit*. Merito vir Scholasticus debet eam sibi desponsare, ipsam amare, cum ea habitare, et multiplices filios, et opera bona gignere, vt possit vere illud dicere Sap. 9. *Hanc amaui, et exquisiui a iuuentute mea, et quae siui sponsam meam mihi assumere, et amator factus sum formae illius*. E contrario de multis, qui malunt sibi desponsare scenicas meretriculas, id est lucratiuas scientias, de quibus ait Boetius supra, qui significantur per mulierem vagam, garrulam, quietis impatientem, cum ornatu meretricio iuuenem irritantem, et illaqueantem Prouerb. 7. vt patet consideranti.

Comment [c25]: Pg.42

Comment [c26]: Pg.43

Comment [c27]: Pg.44

#### CAP. IV.

*De dignitate Philosophiae, seu sumptuositate, et honore illius apud antiquos.*

7 Demum videndum est de philosophiae dignitate, siue impreciable pretiositate, et honore. Ipsa est vera philosophia, quae est amor sapientiae, vel studium virtutis, vt dictum est, quae etiam pretiosior est cunctis opibus, prout dicitur de sapientia, Prouerb. 3. Et ideo Gentiles cum nihil sine nutu numinum crederent faciendum, vnam tamen quasi Deum Deorum, et omnium principem, excolebant sapientiam, et hoc ideo quia ipsa omnibus praeest. Vnde et philosophi veteres imaginem sapientiae prae foribus omnium templorum pingi debere censuerunt, prout dicitur in Policrato lib. 4. cap. 6. Et de huius pretiositate Seneca bene 94. epist. Quis dubitat quin Deorum immortalium munus sit, quod viuimus, philosophiae, quod bene viuimus? Itaque tanto plus huic nos debere certum est, quam Diis, quanto maius beneficium

Comment [c28]: Pg.45



beata vita, quam vita, et certe deberetur, nisi ipsam philosophiam Dii tribuissent. Et sequitur: Huius bonum opus est, de diuinis, humanisque vere inuenire rationem, ab hac nunquam recedit religio, iustitia, pietas, et omnis alter comitatus virtutum contextarum, et intersequentium: haec docuit colere diuina, humana diligere, et penes Deos imperium esse, inter homines consortium, quod aliquandiu inuiolatum mansit, antequam societatem auaritia detraxerit. Et sequitur: De illa proprie philosophia loquor, quae nullum bonum putat, nisi quod **honestum** est, quae nec hominis, nec fortunae muneribus deleri potest; hoc pretium est, non posse pretio capi. Haec ille.

Comment [c29]: Pg.46

8 Vnde et huius nomen sacrum venerabile est, prout ait idem Seneca epist. 15. et ob haec philosophi pro ipsa acquirenda, et adipiscenda omnes opulentias mundiales dimiserunt, omnes excellentias saeculares contempserunt, omnes delicias carnales a se abdicauerunt. Soli studio philosophiae vigilantissime et sedulissime vacauerunt, vt dicitur infra, vbi de studio philosophorum, et hanc solam exquisierunt. Et de hoc Tull. lib. 5. Tusc. quaest. post principium: proponens similitudinem, quod sicut in mercato celebrato apud Graeciam, sic et in vita: illuc enim veniebant aliqui causa gloriae, aliqui causa pecuniae, aliqui vero et rari illa pro nihilo habentes veniebant, vt studiosius intuerentur naturam rerum; sic et in vita sunt quidam, qui ad vitam veniunt, et in ea **laborant** ob nobilitatem coronae, alii causa lucri vendendo, et emendo, alii vt intueantur studiosius naturam rerum, qui possunt appellari studiosi sapientiae, siue philosophi.

Comment [c30]: Pg.47

Vnde Anaxagoras cum ab eo quaereretur, cur natus esset? Ostenso coelo syderibusque monstratis, respondisse fertur, ad horum omnium contemplationem, sicut ait Chalcidius super primum librum Tymaei Platonis. Et ideo Alexander Magnus, cum quasi totum orbem suae ditioni subiugasset, malebat tamen excellere in philosophia, quam in principali potestate siue potentia, prout scribit magistro suo Aristoteli, cum audisset libros, ab eo editos, in vulgus devenisse, prout recitat A. Gellius lib. 20. cap. 4. nam quare, inquit, alia praestare poterimus, si ea, quae a te accepimus, omnium populorum fient communia, cum ego quippe doctrina anteire malim quam copiis, atque opulentiis? Et ideo abominabile fuit apud **philosophos** nobiles, quod vita ignobiles, siue degeneres appellarentur philosophi, vsurpantes sibi sacratissimum nomen, prout ait A. Gellius lib. 9. cap. 2. et prout patebit infra. Merito ergo philosophia est excellens et pretiosa, et omni veneratione digna. Sine ipsa enim et eius ducatu, vel regimine nulla bona temporalia prosunt homini. Prouerb. 17. *Quid prodest stulto habere diuitias, cum non possit sapientiam emere?* et de huius excellentia Tullius bene lib. 2. de offic. c. I. Quid enim potest dare Deus optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc qui expetunt, philosophi vocantur, nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, praeter studium sapientiae. Et ibi bene de hoc. Merito ergo acquirenda vera philosophia, merito appetenda.

Comment [c31]: Pg.48

## CAPVT V.

Comment [c32]: Pg.49

### *De multiplici effectu, vel operatione Philosophiae.*

9 Consequenter procedendum est de effectu philosophiae, vel operatione; qui quidem effectus multiplex est: ipsa enim medetur animae languoribus, ac morbis, remedium adhibet eius angoribus, et tristitiis, eam a periculis tuetur. Vnde et philosophia alloquens hominem tristem, et tribulatum vocat se medicantem apud Boetium I. de consol. cap. 3. ubi ait: ad cognoscendam scientiae medicantis faciem, mentem recepi. Vnde et sapientia ipsa ad eum ait cap. 4. Si medicantis operam expectas, oportet vt vulnus detegas tuum. Et de huius medicamentis

Tull. lib. I. Tusc. quaest. in fine loquens de philosophia, ait, leuatio aegritudinum, formidinum, cupiditatum remedium optimum fertur philosophia; et lib. 2. cap. 3. philosophia medetur animis, eius inanes sollicitudines detrahit cupiditatibus liberat, pellit timores. Item eius effectus est vitia extrahere animum colere, et ipsum praeparare ad virtutes, et ad virtutum fructus. Vnde ibidem ait: cultura animi philosophia est, haec extrahit vitia radicitus, et praeparat ad satus suscipiendos, atque, vt ita dicam, serit, quae adulta vberimos fructus ferens. Et vt breuiter dicatur, ipsa est quasi refrigerium atque refugium contra omnia mala. Vnde Seneca epist. 14. postquam enumerauit mala ac pericula timenda: Ad philosophiam, inquit, est fugiendum, hae litterae (scilicet philosophiae) non dico apud bonos, sed apud mediocriter malos insularum loco sunt. Nam forensis eloquentia, et quaecunq; alia populum mouent, aduersarium habent; haec quieta, et sui negotii, contemni non potest, cui ab omnibus artibus, etiam apud pessimos honor est. Nunquam in tantum coualescet nequitia, numquam sic contra virtutes coniurabit vt non philosophiae nomen sacrum ac venerabile maneat.

Comment [c33]: Pg.50

10 Vnde et Augustinus 22. de Ciuit. Dei cap. 22. ait, quod philosophia, vel sapientia est donum Dei in auxilium contra miserias huius vitae. Et Seneca epist. 16. philosophia est bene viuere, sine qua aeger est animus. Et ideo philosophi, philosophia illustrati, nulla mala, nulla pericula, et quasi nulla tormenta formidabant, vt patebit infra in gestis eorum. Vnde Apuleius in lib. de Deo Socratis in fine, loquens de Vlisse et eius prudentia: hac, inquit, comitante, omnia horrenda subiit, omnia aduersa superauit. Quippe, ea adiutrice, Cyclopi antrum introiit, sed egressus est; solus boues vidit, sed abstinuit; ad inferos demeauit, sed ascendit. Eadem sapientia comitante Scyllam praeternaugauit, nec tentus, Charibdi correptus, nec irretitus est. Circes poculum bibit, nec mutatus est; ad Lothophagos accessit, nec remansit, Syrenas audiuit, nec accessit: nec enim aliud in eodem homine Homerus docet, nisi quod ei semper comitem esse voluit prudentiam quam poetico ritu Mineruam nuncupauit.

Comment [c34]: Pg.51

Comment [c35]: Pg.52

## CAPVT VI.

### *De sua utilitate, vel commoditate in regimine vitae.*

11 Ex praedictis patet septimum principale, scilicet vtilitas multimoda, siue necessitas philosophiae. Et quia in paucioribus facilius est doctrina, cum sint quasi innumerabiles eius vtilitates, nunc videndum est de eius vtilitate in regimine vitae humanae, vt ait August. I. de liber. arbitr. cap. 9, et seqq. Quod quidem regimen est in vitiorum cohibitione, in iustarum legum directione, in virtutum ordine, in eorum correptione, in vitae rectitudine, quae omnia operatur vera philosophia, vt ait Tull. lib. 5. Tusc. quaest. cap. 2. loquens de philosophia; philosophia est vitae dux, virtutis indagatrix, inuentrix legum, magistra morum et disciplinae. Est et vtilis in regimine etiam totius reipublicae, tam in regimine propriae familiae, quam in regimine propriae vitae. Vt enim ait Alpharabius de diuisione philosophiae practicae: philosophiae sunt tres partes, quarum Prima est scientia gubernandi, scilicet rempublicam, quae dicitur politica; Secunda est scientia regendi propriam familiam; Tertia est gubernatio sui ipsius.

Comment [c36]: Pg.53

12 Ad has omnes gubernationes philosophia est necessaria: est enim necessaria ad gubernationem reipublicae, quae non gubernatur nisi iustis legibus; sed philosophia est inuentrix legum, vt dictum est. Vnde et philosophi tulerunt leges, sicut ait Seneca epist. 94. postquam, inquit, surrepentibus vitiis, in tyrannidem regna conuersa sunt, opus esse coepit legibus, quas et ipsi tulere sapientes. Sic Solon, qui Athenas aequo iure fundauit, inter septem veteris aeui

Comment [c37]: Pg.54



sapientia notos, et sic de aliis, quos ibi enumerat. Vnde et ibidem ait: in eo saeculo, quod aureum perhibetur, penes sapientes regnum fuisse Possidonius indicat. Quare Boetius I. de consolat. cap. 4. ait: Beatas fore respublicas, si eas vel sapientiae studiosi regerent, vel earum rectores studere sapientiae contigisset, sicut ex ore Platonis hanc sententiam philosophia sanciuit, ut ait ibidem. Et idem dicit Socrates, sicut recitatur in Policrato lib. 3. cap. 7. Vnde et Sapientia diuina ait: *per me reges regnant et conditores legum iusta decernunt*. Prou. 3. Idem respondit ille nobilissimus philosophus Themistocles, cum nesciret canere in fidibus in conuiuio, et ideo indoctor haberetur, atque quaereretur, quid sciret? respondit se scire, ex publica re parua facere magnam; prout recitat August. 38. epistola, scilicet iustas leges ferendo, salubriter consulendo, et sic de aliis. Et ideo antiqui principes habuerunt secum philosophos, sicut Alexander magnus Aristotelem, Nero Senecam, Traianus Plutarchum; et de hoc habitum est supra in tractatu, qui dicitur *Communiloquium* parte prima. Vnde et Alpharabius vbi supra, loquens de philosophia necessaria ad gubernationem, ait, quod ciuilis scientia quaedam inquit de speciebus actionum, et consuetudinum voluntariarum, et de habitudinibus et moribus et gestibus, a quibus procedunt ista consuetudines, et actiones, et de finibus, propter quos fiunt. Et sequitur: deferibit inter actiones et consuetudines, quibus vera habitudo acquiritur, et quibus vtendum inter conciuies et quibus inter gentes, quibus Praelati apud subditos, et e conuerso vtuntur. Et ibi bene de hoc. Item, vt ait ibidem familia propria regitur tribus modis, scilicet disciplina a vitiis corrigendo, sollicitudine in necessitatibus subueniendo, doctrina, scilicet eos honestis artibus instruendo, alios siquidem liberalibus, alios fabrilibus, prout quemque decet, instruendo secundum quod ait Cato.

Comment [c38]: Pg.55

Comment [c39]: Pg.56

*Cum tibi sint nati, nec opes, tunc artibus illos  
Instrue, quo possint modico defendere vitam.*

Sed nec recte disciplinare, nec prudenter prouidere, nec vere instruere quis potest sine philosophia vera praedicta, quae est disciplina disciplinarum, vt dictum est. Propter quod est necessaria ad regimen propriae familiae, vt patet consideranti praedicta: ipsa enim est disciplina omnium virtutum, ait Agellius lib. 10. cap. 22. quoniam in publicis officiis simul, et priuatis excellit, ciuitatesque et Rempubicam, si nihil prohibeat, constanter, et fortiter, et perite administrat. *Sapiens enim mulier aedificat domum suam, insipiens structam destruet manibus*. Prouerb. 14.

13 **Item** philosophia est, quae gubernat ipsum hominem, et vitam suam. In qua sunt tria necessaria, vt ait Alpharabius vbi supra, scilicet fuga vitiorum, exercitium virtutum, et exemplum meliorum. Per primum declinat a malo, per secundum operatur bonum, per tertium, si in aliquo istorum deficiat, ad meliora prouocatur. Sed ipsa philosophia est expultrix vitiorum, genitrix virtutum, et dux vitae, vt habitum est supra a Tullio, et ideo ipsa est necessaria ad regimen vitae propriae. Dirigit enim hominem in tacendo, dirigit in loquendo. Vnde Macrobius lib. I. Saturnalium in principio: quia cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus nec minus tacendo pro tempore, quam loquendo pro tempore philosophatur. Et post. Nihil tam cognitum sapientiae, vel philosophiae, quam locis, et temporibus aptare sermones personarum, quae aderunt, aestimatione notata; alios enim relata incitant **exempla** virtutum, alios beneficiorum, nonnullos modestiae, vt qui aliter agebant saepe, auditis talibus, ad emendationem venirent. Ideo Eccles. 20. *Est tacens non habens sensum loquelae, et est tacens sciens tempus apti temporis*. Item philosophia dirigit, et regit hominem in bonum agendo, et sustinendo malum; ipsa enim est ars vitae secundum Senecam epist. 94. vbi bene de philosophia et suis praeceptis.

Comment [c40]: Pg.57

Comment [c41]: Pg.58

## CAP. VII.

### *De acquisitione philosophiae, et debito modo addiscendi, et vtendi.*

14 Consequenter inspiciendum quomodo philosophia inuenitur et acquiritur? Scilicet studii sedulitate, otii quieti vacatione, occupationum exclusione subtili inuestigatione, et rerum experientia prudenti, et sic de aliis, quae exiguntur ad eius inuentionem. Et de hoc A. Gellius lib. 13. cap. 8. ait, quod Afranius poeta de gignenda, componendaque sapientia opinatus est, scilicet eam esse filiam vsus et memoriae; hocque argumentando demonstrat. Nam non solum libris, nec disciplinis Rhetoricis, Dialecticisque, opus esse, qui sapiens rerum humanarum esse velit, sed eum versari, exerceique in rebus cominus noscendis, periclitandisque, eamque omnia acta, et euenta firmiter meminisse, et proinde sapere atque consulere ex iis, quae pericula ipsa rerum docuerunt, non quae libri tantum aut magistri sui per quasdam inanitates verborum, et imaginum, tamquam Mimo, aut insomnio delectauerint. Et hi, inquit, eius versus in togata cui Sellae nomen est.

Comment [c42]: Pg.59

*Vsus me genuit,  
Mater me peperit memoria,  
Sophiam vocant me Graeci,  
Vos sapientiam.*

Et haec verba scribi debere censuerunt cum imagine sapientiae prae foribus omnium templorum, nec non et versum istum Pacuuii. *Ego odi homines ignaua opera, et philosophia sententia.* Scilicet quae tendit ad curiositatem. Et de his Policratus in lib. 7. cap. 13. et 14. vsus ergo et exercitation et memoriae viuacitas et quieta vacatio ad studendum, et amor sapientiae multum iuuant ad eius acquisitionem et inuentionem. Vnde et apud philosophos quatuor requirebantur ad lecturam philosophiae, vt ait Hugo Didascal. lib. 3. cap. 7. scilicet amor et labor, cura et vigilia. In amore est vt agas; in labore vt proficias; in cura vt prouideas; in vigilia, vt attendas, vt ait ibidem. Et ad ista necessaria est quieta vacatio a tumultibus exterioribus, vt ait Seneca epist. 92. Magna et spatiosa res est sapientia, vacuo illi loco opus est; de diuinis, humanisque cedendum est, et de multis aliis, vt inueniatur. Et sequitur: haec tam multa, tam magna vt liberum possit habere hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt non dabit se in has angustias virtus, laxum spatium res magna desiderat. Expellantur omnia, totum pectus illi vacet, etc. Et ibi bene de hoc. Et ad ista sapientia diuina hortatur Prouerb. 2. *Si quaeris eam, id est sapientiam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, timorem Dei intelliges, quia sapientiam Dei inuenies, et Sap. 6. Quasi is, qui arat et seminat, accede ad illam et Eccles. 38. Sapientiam scribe in porta Ciuitatis, et qui minoratur actu percipiet illam.* Et quia pauci faciunt praedicta ob acquirendam philosophiam veram, ideo pauci eam inueniunt: vt enim ait Agellius lib. 15. cap. 19. Paucissimi sunt, quibus non conuenit, quod Marcus Varro dicit in Satyra, quae inscribitur Periedesmaton. Si quantum operae sumpsisti, vt tuus pistor bonum faceret panem, eius duodecimam partem philosophiae dedisses, ipse bonus iam pridem factus fuisses. Nunc illam, qui norunt volunt emere centum millibus; te qui nouit, nemo centussis; quasi dicat, plus fuit ei cura, vt pistor faceret bonum panem, quam vt ille addisceret philosophiam et ex hoc pistor fuit maioris reputationis, quam ipse.

Comment [c43]: Pg.60

Comment [c44]: Pg.61

Comment [c45]: Pg.62

15 Qualis debeat esse discipulus, et qualiter discere legatur Boetius in lib. de disciplina Schol. et habitum est ex parte in tractatu, qui dicitur *Communi loquium* par. 5. Nullus

tamen credat attingere, siue assequi philosophiam veram, nisi Deus eam dederit, et reuelauerit, qui arcana sapientiae suae reuelat paruulis. Vnde sicut ait Tullius lib. 3. Tusc. quaest. cap. 28. Aristoteles, veteres philosophos accusans, qui existimassent philosophiam suis ingeniis esse perfectam, dixit, eos aut stultissimos, aut gloriosissimos, (id est vanae gloriae cupidos) fuisse, sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, adeoque brevi tempore philosophiam plane absolutam fore. Et ideo, vt ait ibidem, dicitur Theophrastus, eius discipulus, moriens **accusasse** naturam, quod cernis, et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguum vitam dedisset, quorum si aetas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, vt, omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Haec ille. Nullus ergo existimet se assequi philosophiam suis viribus, sed eam acquirat humiliter, feruenter, iugiter ab illo, a quo est omnis sapientia. Et de his infra, vbi de studio philosophorum.

Comment [c46]: Pg.63

## CAP. VIII.

### *De philosophandi ordinato fine.*

16 Consequenter videndum est de debito fine, siue de causa finali philosophandi, et patet ex dictis, quis finis eius immediatus sit, scilicet correctio morum, nam et Socrates vniuersam philosophiam ad **corrigen**dos mores dicitur inflexisse, vt ait August. supra, et Seneca epistola 74. vbi dicitur, quod Socrates vniuersam philosophiam reuocauit ad mores, et hanc, dixit summam philosophiam bona a malis distinguere. Et idem Tull. lib. 5. Tusc. quaest. post principium, quod Socrates philosophiam euocauit e coelo, et in vrbibus collocauit, et coegit de vita, et moribus, rebusque bonis, et malis quaerere. Finis ergo immediatus est correctio morum, ad quam tendunt effectus philosophiae, de quibus supra dictum est. Finis vero mediatus, siue vltimus assecutio beatitudinis secundum suam intentionem. Vnde August. 19. de Civit. Dei cap. 2. quod nulla est homini causa philosophandi, nisi vt beatus fit; quod autem beatum facit, ipse est finis boni, nulla est ergo causa philosophandi nisi finis boni. Quamobrem quando nullum finem boni sectatur, nulla philosophiae secta dicenda est. Haec ille. Et idem lib. 18. **cap. 40.** Philosophi, qui non videntur laborasse in studijs suis, nisi vt inuenirent, quomodo viuendum esset accommodate ad beatitudinem capessendam, cur dissenserunt inter se, nisi quia vt homines humanis sensibus et ratiocinationibus ista quaesierunt? Et ideo Plato, et Platonici nobiles philosophi dixerunt, Deum esse rerum auctorem, et veritatis illustratorem, et beatitudinis largitorem, prout ait Aug. lib. 8. de Ciuit. Dei. c. 5. et 9. quod philosophi quicumque de Deo ita senserunt, quod sit rerum creaturarum effictor et lumen, cognitio sciendorum, et bonorum agendorum, quod ab illo nobis sit et principium naturae, et veritas doctrinae, et foelicitas vitae, siue Platonici nuncupentur, siue alii, eos, inquam, coeteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur. Haec ille. Et ideo, loquens de Platone, ait ibidem cap. 8. ipsum determinasse finem boni esse secundum virtutem viuere, et ei **soli** euenire posse, qui notitiam Dei habeat, et imitationem, nec esse ob aliam causam beatum, ideoque non dubitat, hoc esse philosophari, quod amare Deum. Vnde colligitur, tunc fore beatum studiosum sapientiae (id enim est philosophari) cum Deo frui coepit. Et ibi bene de hoc. Et ideo ob beatitudinis appetitionem, siue melioris vitae, legitur de illo, qui, lecto Platonis libro, cui nomen Theobertus, vbi de immortalitate animae disputauit, quod se praecipitem e muro dedit, atque ita emigrasse ex hac vita ad eam, quam credidit esse meliorem.

Comment [c47]: Pg.64

Comment [c48]: Pg.65

Comment [c49]: Pg.66

17 Quis autem sit finis boni, diuersimode senserunt philosophi, alii enim dixerunt hunc esse a corpore, alii ab animo, alii ab vtroque. Sicut recitat Augustinus 8. de Ciuit. Dei cap. 8. et lib. 19. cap. I. et seqq. vbi refert diuersas sententias philosophorum de hoc, vbi et de diuersis sectis philosophorum. Vnde et de quodam philosopho recitat idem Augustinus lib. 3. sermonum, serm. 74. cum quaereretur ab eo, quare philosopharis? respondit: propter vitam beatam; et quaerenti, quando haberet illam? respondit: cum hoc corpus reliquero in terra: et ibi recitat de opinionibus philosophorum circa istam materiam. Et vt dicitur in prooemio libri de Vegetabilibus, inquit Empedocles: Extollunt philosophiam mobilis affluentiae contemptus, sempiternae foelicitatis appetitus, mentis illustratio.

Comment [c50]: Pg.67

## CAP. IX.

### *De recto usu philosophiae, siue philosophandi.*

18 Consequenter videndum est de recto vsu philosophiae, cuius quidem est rectus vsus, cum ad praedictos fines ordinatur, scilicet ad morum correptionem, et ad beatitudinis acquisitionem, et ad effectuum illorum, de quibus supra, excitationem. Ipsa est enim ars vitae, prout ait Seneca epistola 99. Sicut ergo quilibet vtitur recte arte, quando ad finem debitum ordinatur, sic ex parte ista. Vnde idem epist. 93. vbi loquitur de philosophia, de diuisione, et de partibus eius: O Lucille virorum optime, inquit, quominus legas non deterreo, dummodo quidquid legeris, ad mores statim referas, illos compesce, marcentia in te excita, solute constringe, contumacia doma, cupiditates tuas publicas, quantumcunque potes, vexa, et sic de aliis. Sicut ergo in Sacra Scriptura ille est magnus *qui facit et docet* Math. 5. sic in philosophia ille est magnus, qui recte intelligit, et ea, quae intelligit, ad finem debitum ordinat. Vnde Seneca epist. 108. Sic ista discamus, vt quae fuerunt verba, sint opera. Nullos autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui philosophiam velut aliquod artificium venale didicerunt; qui aliter viuunt, quam viuendum esse praecipunt. Et sequitur: Non magis mihi potest quidquam prodesse talis praeceptor, quam gubernator in tempestate nauseabundus. Quid me potest iuuare rector nauigii attonitus, et vomitans? quanto maiori putas vitam tempestate iactari, quam vllam ratem? Non est loquendum, sed gubernandum, omnia quae dicunt, quae, turba audiente, iactant, aliena sunt. Dixit illa Plato, dixit Zenon, dixit Chrysippus, et Possidonius, et ingens agmen philosophorum. Tot vero ac talium dicta quomodo probare possint sua esse, monstrabo: faciant, quae dixerint. Haec ille. Sicut ergo in Sacra Scriptura non sufficit solum audire, sed oportet facere, quia *non auditores legis sunt iusti, sed factores*. Rom. 2. sic et in philosophia non sufficit scire, vel dicere, sed oportet facere, vt sit verus philosophus: *facere* enim, non dicere docet philosophia, ait Seneca epist. 16.

Comment [c51]: Pg.68

Comment [c52]: Pg.69

Comment [c53]: Pg.70

## CAP. X.

### *De abusione philosophiae.*

19 Vltimo videndum est de abusione, vel non recto vsu philosophiae. Et hoc patet ex dictis; philosophia enim abutitur, vel qui solum intendit curiose inuestigare, vt sciat tantum, non vt mores componat, vel corrigat, nec vt beatitudinem acquirat. Vnde Seneca epist. 93. in fine: Ita

scribe, vt dum scribis legas omnia ad mores, et ad sedandam rabiem affectuum referas. Stude, vt non plus aliquid scias, sed vt melius.

20 Similiter ille abutitur, qui philosophatur, vt alios delectet, non vt mores aliorum curet. Vnde Seneca epist. 37. supra. Aliae artes ad ingenium pertinent, hic animi negotium quaeritur; non quaerit ergo mediocriter loquentem, sed qui sanare potest. De iis, quae facienda sunt, disserat; homini aliquid consulat hic talis est, qualis si gubernator sit formosus. Quid aures meas scalpis? quid oblectas, quid agis? vtendus, secandus, abscindendus. Ad hoc adhibitus es, curare debes morbum veterem, grauem, publicum, tantum habes negotii, quantum in pestilentia medicus; circa verba occupatus es. Et sequitur: Non est beatus, qui scit illa, sed qui facit. Haec ille. Abusio ergo philosophiae est non dirigere eam, et non ordinare ad morborum, vel aegritudinum sanationem, et morum correctionem, vt dictum est. Ipsa enim est studium veritatis, vel virtutis, vt habitum est prius. Sicut ergo virtutum est abusio non ordinare eas ad finem suum, prout ait August. de Ciuit. Dei lib. 3. cap. 8. Quod si virtutes persuadent non amare beatitudinem, non sunt dicendae virtutes; sic abuti philosophia non est vti ea ad fines suos debitos. Hanc abusionem reprehendebant nobiles philosophi, prout ait August. 5. de Ciuit. Dei. cap. 20. Solent philosophi, qui finem boni humani in ipsa virtute constituunt, ad ingerendum pudorem quibusdam philosophis, qui virtutes quidem probant, sed eas voluptatis carnalis fine metiuntur, et illam propter seipsam putant appetendam, et virtutes propter ipsam, tabulam quamdam verbis pingere, vbi voluptas in sella regali, quasi delicata confidat, eique virtutes famulae subiiciantur, obseruantes eius nutum, vt faciant quod ipsa imperauerit. Quae prudentiae iubeat, vt vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, et salua sit, et similiter quidem imperet aliis virtutibus. Ita quod virtutes cum tota sua gloria ac dignitate, tamquam imperiosae cuidam, et inhonestae mulierculae, seruiunt voluptati. Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius, et deformius, et quod minus bonorum ferre posset aspectus, et verum dicunt. Non existimo satis debiti decoris esse picturam, etiamsi talis fingatur, si talis figuratur, vbi virtutes humanae gloriae seruiant. Licet enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, et multum habet inanitatis.

Comment [c54]: Pg.71

Comment [c55]: Pg.72

Comment [c56]: Pg.73

21 Item, vt ait ibidem, nec illi se ab ista foeditate defenderint, qui, cum aliena spernant iudicia, velut gloriae contemptores, sibi sapientes videntur, et sibi placent. Nam eorum virtus, si tamen vlla est, alio modo quodam humanae subditur laudi. Neque enim ipse, qui sibi placet, homo non est. Haec ille. Ex iis patet, quod potest imaginari triplex pictura, vel cum seruiunt virtutes voluptati, vel cum seruiunt vanae gloriae alienae, vel cum seruiunt propriae complacentiae, vel existimationi apud se gloriant. Et ex hoc triplex abusio virtutis, ac consimili modo triplex abusio procedit philosophiae, si praedictis modis deordinetur. Idem hoc patebit infra, vbi de philosophis abutentibus philosophia, et degenerantibus a nobilibus philosophis, qui vocantur plebei apud illos. Et haec breuiter dicta sufficiant de philosophia in communi.

Comment [c57]: Pg.74

## PARS SECVNDA.

### CAP. I.

#### *Quis dicebatur antiquitus philosophus?*

1 Quaestio ista patet ex dictis supra. Dicebatur enim *philosophus* amator sapientiae secundum Augustinum lib. 8. de Ciuit. cap. I. et sic ait Tullius lib. 5. Tusc. quaest. post principium: nomen *Sapientiae* vsque ad tempora Pythagorae attribuebatur sapientibus, ipse vero

primo respondit se esse *philosophum*. De hoc agit August. 3. confess. post principium, vbi ait, quod philosophus dicebatur amator sapientiae et 8. de Ciuit. Dei idem cap. 2. quod nulla vera virtus est, nisi quae charitate informatur, vt dictum est; nulla philosophia vera, nisi quae, fide operante, per dilectionem dirigitur, nullus verus philosophus, nisi verus Dei amator. Vnde et Plato vult philosophum esse amatorem Dei, vt quoniam philosophia ad vitam beatam tendit, fruendo sit beatus, qui Deum amauerit, vt ait Augustinus. 8. de Ciuit. Dei c. 9. vbi ait, quod non dubitat Plato hoc esse philosophare, scilicet Deum amare.

Comment [c58]: Pg.75

## CAP. II.

### *Quae fuit professio philosophica?*

2 Sciendum quod professio philosophica fuit in mundialium contemptu, et dimissione, in sapientiae appetitione, in sedula eius studiositate, in conuersationis et vitae composita honestate, flectendo philosophiam ad morum correptionem. Vnde et Plato dicebat, philosophos esse iustos, et quod omnia contemnebant, vti refert Tull. I. de offic. cap. 8. Idem patebit infra, ubi de hoc dicitur. Item eorum vita erat composita, et honesta tam in dictis, quam in factis. Vnde Seneca epist. 40. Loquens de quodam philosopho, qui solebat magno cursu verba conuellere, et cui verba plura veniebant, quam quibus vna vox sufficiat, hoc, inquit Seneca, non probo in philosopho, cuius pronuntiatio, sicut vita, debet esse composita; nihil autem ordinatum est, quod praecipitio praeparatur. Haec ille. His verbis, inquit, quod vita philosophi debet esse composita, et etiam pronuntiatio; et de hoc patebit similiter infra. Item errant studiosi sapientiae, et ideo philosophi, vt dictum est inflectebant philosophiam ad morum correptionem, sicut supra dictum est de Socrate: et licet non fuerit in eis vera virtus, nec recta fides, tamen modus viuendi philosophicus in cognitione fuit nobilis. Et de hoc habetur in Policrato lib. 3. cap. 9. qui, bene loquens de philosophis, ait, quod in eis venerabilis tantum imago virtutis fuerit, dum sine fide, et dilectione substantia virtutis esse non possit: et vtinam, inquit, inueniatur in nobis, qui vel virtutis imaginem teneat.

Comment [c59]: Pg.76

Comment [c60]: Pg.77

### *Quis enim virtutem amplectitur ipsam?*

Quis etiam vmbras virtutum induit, quibus videmus floruisse gentiles, licet eis, subtracto Christo, verae beatitudinis non apprehenderint fructum? Quis Themistoclis diligentiam, Frontonis grauitatem, continentiam Socratis, Fabritii fidem, innocentiam Numae, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Vlissis, Catonis parcitatem, Titi pietatem imitatur? quis non cum admiratione veneratur? Porro praedicti, et similes magni quidem, et laudabiles viri, quasi quaedam saeculorum suorum sydera splenduerunt, illustrantes tempora sua. Et licet tales fuerint, quia Dominum Iesum Christum non cognouerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et superbia tumentes, vera humilitate carentes, humanam gloriam appetentes, et dicentes *seipsos esse sapientes, stulti facti sunt* Rom. I. et absconit ab eis Deus sapientiam suam, quam *reuelauit paruulis suis* Matth. XI. nihilominus quodammodo fuerunt commendandi propter praedictorum optimam ingenuitatem, et fideles philosophi increpandi sunt, qui eos non imitantur in consimilibus, licet opera eorum fuerint imperfecta, quia non informata charitate. Vnde Hieronymus epistola vltima, plus, inquit, debet Christi discipulus praestare, quam mundi

Comment [c61]: Pg.78



philosophus, gloriae, et popularis auae, atque rumorum venale mancipium, scilicet, quia humanae gloriae seruiebat, et hanc in operibus suis expetebat.

Comment [c62]: Pg.79

### CAP. III.

#### *De habitu philosophico.*

3 Consequenter videndum est de habitu philosophico, et de signis huiusmodi professionis: et de hoc in vita Sancti Athanasii bene, vbi author loquitur de philosophis, et inter alia ait, quod philosophus honorabatur per virgam, quam gestabat in manu, in signum cuiusdam religionis; per nutrimentum comae, per vestimenti decorem, et vltra haec habebat anulum philosophicum. Haec ille. Et de hoc Hieronymus epist. 114. dicit, quod apud Graecos ille philosophus laudabatur, qui omne, quo vteretur, vsque ad pallium, et anulum, manu sua factum esse gloriatus esset. In quatuor ergo praedictis consistebat indumentum philosophicum. Cuius ratio posset assignari, quod pallio utebatur in signum honoris, vel venerationis; virga in signum regiminis, vel religionis; anulo in signum magistralis, siue doctrinalis dignitatis; comam nutriebat in signum virilis maturitatis, siue grauitatis. Vnde et apud philosophos erat multum reprehensibile gestare habitum philosophicum absque vitae philosophicae honestate, prout ait Agellius Atticarum noctium libro 9. cap. 2. loquens de quodam turpis vitae deferente indumentum philosophicum. Ad Herodem, inquit, Atticum consularem, virum ingenio amoeno, Graecaque facundia celebrem, adiit, nobis praesentibus, quidam palliatus, et barba crinitus, prope ad pubem vsque porrecta, et petiit aes sibi dari ad panes emendos. Tunc Herodes interrogat, quisnam esset? at ille vultu, sonituque vocis obiurgatorio philosophum se esse dixit; Mirari quoque addit, cur quaerendum putaret, quod videbat cum aliis. Video, inquit, barbam, et pallium, philosophum nondum video. Quaeso autem te, cum bona venia dicas mihi, quibus nos argumentis vti posse existimas, vt te philosophum esse noscitemus? Et tunc ii, qui cum Herode erant, dixerunt, illum esse erraticum hominem, et nullius rei, incolamque esse sordentium gearum, et nisi accipiat quod petit, conuitio turpi solitum incessere. Tunc Herodes: demus, inquit, huic aliquid aeris, cuiusmodi est, tanquam homines, non tanquam homini; et iussit ei dare pretium panis triginta dierum. Et tunc ille aspiciens nos, qui eum sectebamur, philosophum se esse ostentanti Musonius iussit dari mille nummum, et cum plerique dicerent, nebulonem esse, et malum hominem, et nulla re dignum: tum Musonius subridens dixit, hoc potius mihi dolori est, quod huiusmodi animalia spurca, atque probra nomen vsurpent sanctissimum, vt philosophi appellentur. Maiores autem mei Athenienses nomina iuuenum fortissimorum Armodii, et Aristogitonis, qui libertatis recuperandae gratia Hyppiam tyrannum interficere adorsi sunt, ne vnquam seruis indere liceret, ex decreto publico sanxerunt, quoniam nefas ducebant nomina, libertati patriae deuota, seruili contagio pollui. Cur ergo nos patimur nomen philosophiae illustrissimum in hominibus deterrimis exsordescere? Simili autem exemplo ex contraria specie antiquos Romanorum audio, praenomina Patriciorum quorundam male de republica meritorum, et ob eam causam capite damnatorum, censuisse, ne cui eiusdem gentis Patricio inderentur, vt vocabula quoque eorum defamata, atque demortua cum ipsis viderentur. Haec ille.

Comment [c63]: Pg.80

Comment [c64]: Pg.81

Comment [c65]: Pg.82

4 Ex hac narratione, vt patet consideranti, reprehensibilitas falsorum philosophorum, et fictorum ostenditur, ostendentium se esse philosophos, et non viuientium vita philosophica. Item patet hominum bonorum largitas munifica, qui dant aliquando indignis, considerantes suam honestatem, non aliorum indignitatem. Insuper patet iusta aequitas, et recta

Comment [c66]: Pg.83

ordinabilitas, quod nomina nobilia non debent imponi indignis, et ignominiosis, et quod nomina malorum debent extinguere, et deleri. Item ex dictis patet, quod si ficti philosophi erant detestandi apud veros philosophos, quibus erat graue, quod ingenui nomen in eis sordesceret: qualiter apud sanctos homines, et apud auctorem Sanctitatis Dominum Iesum Christum detestandi sunt ficti et falsi Christiani, et ficti clerici; falsi, et ficti religiosi, falsi, et ficti Doctores, qui gloriantur se praedictis nominibus sine re nominum, vitae scilicet debitae **veritate**. Quantum enim in ipsis est, nomina illustrissima sordescere faciunt, quibus iuste potest dicere Dominus; *nomen meum per vos blasphematur tota die* Isa. 52. et cuilibet eorum potest dici illud Apoc. 2. *Nomen habes, quod viuas, et mortuus es.*

Comment [c67]: Pg.84

## PARS TERTIA.

### DIST. I. CAP. I.

#### *De successione illustrium philosophorum, et de septem Sapientibus.*

1 Consequenter videndum est de tertio principali, scilicet de successione philosophorum illustrium, et eorum notabilibus dictis, et exemplis. Et primo de ipsa successione in communi. Secundo de sibi inuicem succedentibus. De primo, scilicet de ipsa successione, Augustinus 8. de ciuit. Dei cap. 2. ait, quod quantum attinet ad **litteras** Graecas (quae lingua inter caeteras gentium clarior habetur) duo philosophorum genera traduntur; vnum Italicum, ex ea parte Italiae, quae quondam magna Graecia dicebatur; alterum Ionicum in eis terris, vbi et nunc Graecia nominatur. Et sequitur: Ionici vero generis princeps fuit Thales Milesius, vnus illorum septem, qui appellati sunt *Sapientes*. Sed et illi ex vitae genere distinguebantur, et quibusdam praeceptis ad bene viuendum accomodatis; et ii septem erant nominatissimi et illustrissimi temporibus suis. De quibus Augustinus 18. de Ciuit. Dei cap. 25. de temporibus eorum, vbi ait, quod regnant apud Hebraeos Sedechia, et apud Romanos Tarquinio Prisco, Pittacus Mityleneus, vnus e septem sapientibus fuisse perhibetur, et quinque caeteros, qui vt septem numerarentur, Thaleti, quem supra memorauimus (scilicet lib. 8. vt dictum est) et huic Pittaco adduntur, eo tempore fuisse, **scripsit** Eusebius, quo captius populus in Babilonia tenebatur. Haec ille. Et de his eisdem Tull. lib. 5. Tuscul. quaest. post principium, vbi ait, quod scilicet *Sapientiae* nomen apud antiquos fuit pulcherrimum. Itaque illos septem, qui a Graecis *Sophi*, *Sapientes* a nostris, et habebantur, et dicebantur. Et de his Alexander Nequam in lib. de naturis rerum ait, quod septem sapientibus tanquam septem numinibus terrenis sublimata est ciuitas Atheniensium, quorum responsis tamquam caelestibus oraculis totus orbis certificatus est, et tamquam septem planetis non erraticis illustratus.

Comment [c68]: Pg.85

Comment [c69]: Pg.86

2 Et tamen ii, licet essent reputati sic sapientes, erant tamen humiles suo modo, se inuicem mutuo honorantes, et reputantes se inuicem sapientiores, prout narrat Valerius lib. 4. cap. I. vbi loquitur, quod piscatores vendiderunt iactum suum cum rete, et extraxerunt mensam auream Delphicam. Ex quo orta **controuersia** est, illis piscium capturam se vendidisse affirmantibus, alio, scilicet emptore, se affirmante fortunam emisse, id est, quod eueniret ex fortuna. Et tunc propter nouitatem rei consulitur Apollo Delphicus, scilicet quid faciendum? Qui adiudicauit, illam dari ei, qui caeteris sapientia praestaret, quae tandem data est Thaleti. At ille misit eam Bianti, iste Pittaco, et sic inuicem, donec vltimo data fuit Soloni: et in hoc est euidentis humilitatis exemplum in eis, qui praeiuerunt sapientia.

Comment [c70]: Pg.87

3 De successione vnus istorum loquitur August. de Ciuit. Dei vbi supra, quod iste Thales, vt successores suos propagaret, rerum naturas scrutatus, suas disputationes litteris mandauit. Qui cum inter caeteros emicuisset, maxime admirabilis in eo extitit, quod, Astrologiae numeris comprahensis, defectus Solis, et Lunae praedicebat; aquam tamen putauit omnium rerum esse principium. Huic autem successit **Anaximander** eius auditor, qui mutauit opinionem, et ex suis propriis principiis quasque res nasci putauit. Iste autem Anaximenem discipulum et successorem reliquit, qui rerum causas aeri infinito dedit. Diogenes eiusdem auditor extitit et Anaxagoras, qui rerum omnium, quas videmus, effectorem diuinum animum sensit, et ex infinita materia, prout prosequitur August. ibidem.

Comment [c71]: Pg.88

## CAP. II.

### *De Solone.*

4 Solon vero, qui fuit alius de septem Sapientibus, dedit leges Atheniensibus, de quibus loquitur August. 2. de Ciuit. Dei c. 16. et plenius Agellius lib. 19. cap. 21. vbi ait, quod dedit leges Atheniensibus, de quibus agit Trogius Pompeius lib. 2. ubi ait, quod ciuitati Atheniensium nullae leges erant, quia libido Regis pro legibus erat. **Eligitur** Solon vir iustitiae insignis, qui velut nouam ciuitatem legibus conderet, qui tanto temperamento inter plebem, et senatum egit, cum si quid pro altero ordine tulisset, alteri displiciturum videretur, ab vtrisque parem gratiam traheret. Et de hoc Agellius vbi supra, de Solone, inquit, et Homero, et Hesiodo constat eos aetatem egisse eisdem temporibus, vel Homerum aliquanto fuisse antiquiorem. Et sequitur, Solonem accepimus ex illo nobilium numero Sapientum leges scripsisse Athenensium. Pysistratus Athenis tyrannus fuit, Solone in exilium voluntarium profecto, quod ei praedicenti creditum non est. Hic Solon miro modo studiosus fuit, vnde de eo narrat Valerius lib. 8. c. 7. quod supremo die, scilicet ante mortem, assistentibus amicis, et quadam de re sermone disputantibus, satis iam pressum erexit caput, interrogatusque quapropter id fecisset? respondit, vt cum id, quidquid **est**, de quo disputatur, percepero, moriar. Et de hoc eodem Tullius de senectute, quod Pysistrato tyranno quaerenti, qua spe fretus sic tam audacter obsisteret? respondit: senectute; quasi dicat paratus eram mori tunc. Et ibidem: Solonis sapientis elogium est, quod se negat velle mortem suam dolore et lamentis amicorum carere, vult enim se carum esse suis. Ex praedictis patet quam studiosus fuit iste Sapiens, et qualiter vsus est sapientia sua ad aliorum vtilitatem, dando leges ad regimen reipublicae, et quam modestus fuit in vtendo legibus inter discordes; quem debent imitari sapientes Christiani in praedictis.

Comment [c72]: Pg.89

Comment [c73]: Pg.90

## CAP. III.

### *De Anaxagora, et eius virtutibus.*

5 De reliquis sex Sapientibus non leguntur multa notabilia in libris, quibus vtuntur **moderni**, et ideo redeundum ad successionem philosophorum supradictam, de qua Augustinus vbi supra 8. de ciuit. Dei c. 2. qui ait, quod Anaxagoras fuit auditor Anaximenis, de quo supra, qui Anaxagoras respondit, se esse natum ad caelestium contemplationem, vt dictum est prius. Et iste fuit rerum mundialium mirificus contemptor. Vnde de ipso narrat Valerius lib. 8. vbi supra,

Comment [c74]: Pg.91

quod cum ex diuturna peregrinatione patriam repetiisset, possessionesque desertas vidisset, non essem, inquit, saluus, nisi istae periissent. Item fuit patiens in aduersis, et prouidus consolator sui ipsius. Quare de eo narrat Valerius lib. 5. in fine, quod, audita morte filii, nihil, inquit, nouum, aut inexpectatum nuntias. Ego enim illum, et me natum sciebam mortalem. Et idem narrat Tullius de Tuscul. quaest. lib. 3. Item fuit contemptor cuiuscunque mortis, prout narrat Tull. ibidem lib. 5. quod quaerenti a se ante mortem, **an** in patriam vellet afferri? nihil necesse est, inquit, vndique ad inferos tantumdem viae est. Et in praedictis similiter iste philosophus imitandus est a philosophis Christianis.

Comment [c75]: Pg.92

## TERTIAE PARTIS.

### DIST. II. CAP. I.

#### *De Antisthene Magistro Diogenis.*

1 Alter vero auditor supradicti philosophi, et sic condiscipulus Anaxagorae fuit Diogenes secundum Augustinum vbi supra, qui dixit aerem esse rerum materiam, de qua fierent, et eum compotem diuinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri possit. Ait tamen Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum cap. 9. quod Diogenes fuit discipulus Antisthenis: Leguntur, inquit, plurimi philosophorum non tantum diuitias contempsisse, sed **abiecisse** tamquam impedimentum Sapientiae et virtutis. Fecit hoc Socrates, quem omnium philosophorum sectae, quasi prudentiae et veritatis vnicum fontem, venerantur. Antisthenes quoque cum gloriose Rhetoricam docuisset, audissetque Socratem dixisse ad discipulos suos: abite, magistrum quaerite, ego enim iam reperi: statim venditis, quae habebat, et publice distributis, nihil sibi praeter palliolum reseruauit. Huius Diogenes, famosissimus ille sectator, fuit potentior Rege Alexandro, et humanae naturae victor. Cum autem Antisthenes nullum discipulorum reciperet, et perseuerantem Diogenem remouere non posset, nouissime ei minatus est claua, nisi abiret. Cui ille subiecisse caput fertur, atque dixisse: nullus tam durus baculus erit, qui me a tuo possit consortio separare. Haec Hieronymus.

Comment [c76]: Pg.93

### **CAP. II.**

Comment [c77]: Pg.94

#### *De vita Diogenis, et eius virtutibus.*

2 Refert Satyrus, qui virorum illustrium scribit historiae, quod iste Diogenes pallio duplici vsus sit propter frigus, peram pro cellario habuit, secumque portauit, et quod clauam gerebat ad corpusculi fragilitatem, qua iam senex membra sustentare solitus erat, et *Emoranthynos* vulgo, sit appellatus in praesentem horam, poscens a quolibet, et accipiens cibum. Habitauit autem in portarum vestibulis, et in porticibus ciuitatum, vsquequaque profitens verum, et tamen sequentium abigens, aut notans vitia, quae mores foedabant; cumque se torqueret in dolio, se domum volubilem habere iucundabatur, et se cum temporibus immutantem: in frigore enim os dolii vertebat in Meridiem, in aestate ad **Septentrionem**, et vbiunque sol se inclinabat, Diogenes simul praetorium vertebat. Quodam vero tempore cum in vsum potandi calicem gereret, vidit puerum manu concaua bibere, et elisit eum in terram, dicens: nesciebam, quod natura haberet poculum. Nihil vnquam de animi rigore remisit, in eodem vultus tenore, etiam aduersis

Comment [c78]: Pg.95

interpellantibus, perstitit, et vt plene Socraticum nosceres, calcatis turbinibus fortuitorum, aduersus omnem dolorem, et miseriam vniformi durauit proposito: dicebat enim haec semper a philosopho esse debere aliena, et impotem esse sui animi, in quem fortunae quidpiam liceret.

3 Virtutem eius, et continentiam mors quoque indicauit; nam cum ad agonem Olympicum, qui magna frequentia celebrabatur, iam senex pergeret, febre in itinere apprehensus, occubuit in crepidine viae. Volentibus autem amicis eum aut in iumentum, aut in vehiculum tollere, non acquieuit, sed transiens ad arboris vmbram, ait, abite quaeso, et spectatum pergite, haec nox aut me victorem probabit, aut victum; si febrem vicerero, ad agonem veniam, si me vicerit, ad inferna descendam, ibique per noctem eliso gutture non tam mori se ait, quam morte febrim excludere, deceptus opinione virorum fortium, et exemplo in extremae necessitatis articulo, ne aliunde inferretur, mortem vltioneam credidit appetendam. Haec ille. Et idem in Policrato lib. 5. cap. 15. Et de hoc in parte Seneca epist. 44. loquens de Diogene, quod, cum vidisset puerum caua manu aquam bibentem, fregit protinus exemptum e perula calicem, cum hac obiurgatione: Quamdiu homo stultus superuacuas sarcinas habuisti? qui se complicuit in dolio, et in eo cubitauit. Et concludit ibi, ipsum datum esse in exemplum illis, qui quaerunt huiusmodi irritamenta superflua.

Comment [c79]: Pg.96

### CAP. III.

Comment [c80]: Pg.97

#### *De refutatione munerum Alexandri, et quod fuit eo potentior.*

4 Idem Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 5. ait, quod Alexander, qui quasi omnes nationes vicit, a Diogene victus est eo die, quo homo super humanae superbiae tumens mensuram, vidit aliquem, cui nec dare quidquam posset, nec auferre. Valerius de hoc lib. 4. cap. 3. ait, quod Alexander continentiam Diogenis vincere non potuit, ad quem in sole sedentem cum accessisset, hortareturque, vt si quae sibi praestare vellet, indicaret, quemadmodum erat in crepidine collocatus, sordidae appellationis, sed robustae vir praestantiae. Mox inquit, de caeteris, interim velim, vt a sole mihi non obstes, quasi diceret, non stes inter me et solem. Hinc inhaesit illa sententia: Alexander Diogenem gradu suo diuitiis pellere tentat, sed celerius potuit armis Darium. Et de hoc Iuuenalis Satyra 14.

Comment [c81]: Pg.98

*Sensit Alexander, testa cum vidit in illa  
Magnum habitatorem, quanto faelicior, hic qui  
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.*

Et ibi ait expositor, quod Alexander, quamuis totius orbis haberet dominium, vitam illius suae praeposuit. Sed de hoc infra. Qualiter vero petiit ab Alexandro, vt non obsisteret inter se et solem, agit Tullius Tusc. quaest. lib. 5. ante finem. Mirificus ergo contemptor omnium opulentiarum, excellentiarum, et deliciarum, et etiam sui ipsius fuit dictus philosophus. Vnde et gloriabatur, quod fuit ex diuite factus pauper, laudabatque magistrum suum, quia fecit eum pauperem, prout dicitur lib. 5. Saturnalium ante medium, quod Diogenes Antisthenem magistrum suum solebat veluti vituperando laudare. Ipse me, aiebat, mendicum fecit ex divite, et pro ampla domo fecit in dolio habitare. Melius autem dicebat ista, quam si diceret gratus sum illi, quia ipse me philosophum et consummatae virtutis virum fecit. Haec ille, vnde gratias agebat magistro suo, qui fecit eum pauperem, et iactantiam cauebat in praedictis verbis.

Comment [c82]: Pg.99

## CAP. IV.

### *Quod fuit similis Diis immortalibus secundum Senecam.*

5 Et de huius perfectionem talibus Seneca in libro de tranquillitate animi c. 8. ait, quod, tolerabilius est, faciliusque quibusdam non acquirere pecuniam, quam amittere, ideoque beatiores videbis quos nunquam fortuna respexit, quam quos deseruit. Vidit hoc Diogenes vir ingentis animi, et effecit, ne quid sibi eripi posset. Tu istius **paupertatem**, inopiam, egestatem voca, et quam voles ignominiosum securitati nomen impone. Et sequitur. Si quis de foelicitate Diogenis dubitat, potest et idem de Deorum immortalium statu dubitare, an parum beate degant, quod illis non praedia, non horti sint, nec alieno colono rura pretiosa, nec grande in foro foenus. Et post. Hunc tu pauperem putas an Diis immortalibus similem, qui se fortuitis omnibus exuit? Haec ille. Et ex his concludit, ipsum Diogenem foeliciorem esse Pompeio, cui numerus erat multorum seruorum, Diogeni vero erat vnicus seruus.

Comment [c83]: Pg.100

## CAPVT V.

### *De voluntate revocandi seruum, et quod fortuna sua fuit melior, quam Regis Persarum.*

6 Deinde narrat ibidem quod Diogenis vnicus seruus **fugit**, nec eum reducere, cum monstraretur, tanti putauit. Turpe est, inquit, Manem sine Diogene posse viuere, Diogenem sine Mane non posse. Et ex his patet eius magnanimitas. Dedignabatur quaerere illum, qui nolebat secum viuere. Et de hoc eodem narrat Tullius lib. 5. Tusc. quaest. cap. 32. quod hic Diogenes disputare soleret, quanto regem Persarum vita, fortunaque superabat, sibi, dicens, nihil deesse, illi numquam satis fore; se illius voluptates non desiderare, quibus nunquam satiari ille posset, suas autem consequi eum nullo modo posse. Ex his patet; qualiter abdicauit omnes exteriores voluptates, et cupiditates suo modo.

Comment [c84]: Pg.101

## CAPVT VI.

### *De eius patientia in sustinendis iniuriis.*

7 Et non solum fuit talium contemptor, sed fuit **mirabilis** constantiae, et patientiae, prout narrat Seneca de eo lib. 3. de ira cap. 38. vbi monet ad patientiam, dicens: Contumeliam tibi facit aliquis? nunquam maiorem, quam Diogeni philosopho Stoico, cui cum de ira differenti adolescens proteruus inspisset, tunc ille leniter, et sapienter: inquit non quidem irascor, sed dubito, an irasci oporteat. Et ibidem: Cato tamen videtur melius sustinuisse, cui cum causam agenti in frontem mediam quantum poterat, attracta pingui saliuam, inspisset Lentulus factiosus et impotens, abstersit faciem, et affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, fallim eos, qui te negant os habere. Mira ergo patientia huius in contumeliarum perpessione. Item de huius patientia in contemptu generis mortis et sepulturae narrat Tullius lib. 1. Tuscul. quaest. quod moriens iussit se proiici inhumatum, et cum tunc amici dicerent, quod a feris devoraretur, ait ille, minime, sed **baculum**, quo abigam, ponite; at illi: Quid poteris non sentiens? Et ille: quid ergo ferarum laniatio non sentienti oberit? Ex hoc concludens minimum obesse carentiam sepulturae.

Comment [c85]: Pg.102

Comment [c86]: Pg.103



## CAP. VII.

### *De patientia, et animositate illius in captiuitate.*

8 Fuit insuper in omnibus constans, nulla molestia fractus. Vnde de eo narrat Agellius lib. 2. cap. 17. Cum Diogenes, inquit, ex libertate in seruitutem (id est, cum venderetur) incurrisset, et cum emere quidam vellet, percunctatusque esset, quod genus seruitutis sciret? respondit, Noui, inquit, hominibus liberis imperare. Tunc ille eum emit, et manumisit, filiosque suos ei tradens: accipe, inquit liberos meos, quibus imperes. Patet ergo, quod nulla fuit captiuitate victus.

## CAP. VIII.

Comment [c87]: Pg.104

### *De eius patientia in doloribus sustinendis.*

9 Item in doloribus sustinendis fuit longanimis, et robustus. Narrat de eo Fulgentius in libro Mithologiarum, Diogenes, inquit, Cynicus, cum dolore graui torqueretur, et vidisset homines in amphiteatrum concurrentes, aiebat, o hominum stultitia! currunt spectantes homines feris repugnantes, et me praetereunt cum naturali dolore certantem, quasi diceret, Transeunt ad videnda minus mirabilia, non considerantes maius mirabile. Ex his patet, qualiter fuit longanimis, et patientia solidus; vt enim ait Solinus lib. 2. ante finem. Heraclitus, et Diogenes Cynicus nihil vnquam de rigore animi remiserunt, calcatisque turbinibus fortuitis aduersus omnium dolorem, vel miseriam vniformi durauerunt proposito.

## CAP. IX.

Comment [c88]: Pg.105

### *De constantia in edomatione vitiorum, et concupiscentiarum.*

10 Fuit domatione concupiscentiarum, et passionum modestus, et sui modificatus, et libidinum exteriorum cohibitiuus, prout narratur in collationibus Patrum, scilicet in collatione Thelomonis monachi, vbi dicitur, quod Diogenem, cum quidam intuens diceret, O oculi corruptoris puerorum; et discipuli eius in eum vellent irruere, ait: Quiescite sodales, sum etenim, scilicet talis, sed contineo me; quasi diceret: pronus sum ad libidines, sed contineo me. Fuit ergo iste virtuosus, eo modo quo potuit esse sine gratia. Ibidem dicitur de eo, quod cuidam in foro adulterii crimine puniendo ait. Quod gratis datur, siue venditur, noli morte emere.

## CAP. X.

Comment [c89]: Pg.106

### *De veritate in arguendo alios, nulli adulando.*

11 Item iste Diogenes ad docendum alios fuit studiosus. Erat enim cuicumque profitens verum, et habitabat in porticibus ciuitatum, transeuntium notans, vel abigens vitia, quae mores foedabant, vt supra habitum est. Vnde Seneca loquens de Diogene, et aliis, ep. 30. ait,

quod obuios monuerit, et in dicendo fuit constans suo modo, et veridicus, nulli parcens, vt tactum est; nec pro commodo, vel emolumento veritatem omittens, prout narrat Valerius de eo lib. 4. c. 3. quod, cum ei, lauanti olera, Aristippus dixisset, si Dionysium adulari velles, id est illum tyrannum, ista non ederes inquit ille, immo si tu ista ederes, Dyonisium non adulareris, scilicet blandiendo ei. Veridicus ergo fuit **veritatis**, et iustitiae annuntiator, malens vilibus, et paucis sustentari, quam magnatibus adulari. Vnde et in Deum Herculem ludricum, seu contumeliosum protulit, ut Tertull. in Apolog. c. 14. et ideo proferendo veritatem aliquando deridendo pungebat, sicut narrat de eo idem Tertull. ibid. c. 39. obiiciens Diogenis dictum, Megarenses, inquit, obsonant quasi crastina die morituri, aedificant quasi nunquam morituri; ita enim sugillabat Megarensium voracitatem ciborum et luxum aedificiorum.

Comment [c90]: Pg.107

## CAP. XI.

### *De compassione mali aliorum.*

12 Iste Diogenes quando exibat in publicum, flebat, prout recitat de eo Iuvenal. Satyra x.

*Iam ne igitur laudas, quod de Sapientibus alter  
Ridebat quotiens a limine mouerat vnum  
**Protuleratque** pedem, flebat contrarius alter?*

Comment [c91]: Pg.108

Loquitur ibi de Democrito, qui ridebat quotiens exibat in publicum, et de Diogene, qui flebat, quod fuit grauius, et mirabilius. Vnde sequitur ibi

*Sed facilis cuius rigidi censura cachinni:  
Mirandum est, vnde ille oculis suffecerit humor.*

Ait tamen Seneca de tranquillitate animi ante finem, quod Heraclitus erat ille, qui flebat, quia omnia, quae agimus, videbantur sibi miseriae; Democritus ridebat, quia videbatur sibi, quod sunt ineptiae, vt dicitur infra: sed potuit hoc esse verum de vtroque, Diogene scilicet et Heraclito.

## CAP. XII.

### *De uariis dictis illius.*

13 Et de hoc eodem Diogene narrantur plura in quodam **tractatu** de dictis philosophorum, vbi dicitur, quod cum Diogeni domum suam homo turpissimus ostenderet, omnibus in ea locis auro nitentibus, in faciem ipsius Domini exspuit. Interrogatus, cur hoc faceret? respondit quod nihil aliud ita vile in illa domo vidisset. Ibidem dicitur, quod cum esset interrogatus, cur tantam barbam haberet? respondit, si mulier esset barbata, esset quasi portentum, vir autem barbatus cur accusatur? assignans in barba differentiam sexuum. Ibidem: ad emendationem sui, inquit, vnusquisque nostrum aut est sibi valde amicus, aut valde inimicus. Ibidem, quod cum quemdam inopem rogaret, et panem ab eo peteret, hocque circumstantes

Comment [c92]: Pg.109

mirarentur: condisco, inquit, ferre repulsam. Ibidem dicitur, quod cum quidam ei perferret aliqua maledicta de eo ab amico suo prolata: an amicus, inquit, hoc dixerit, dubium est; de te autem mihi manifestum. De eodem dicitur ibi, Cum enuntiasset ei amicus, te amici cuncti vituperant: Oportet, inquit, Diogenis Sapientiam ab insipientibus feriri; esse enim indicat meliorem mala lingua, quae carpit. Et hoc vltimum recitatur in Policrato lib. 3. cap. 14. De hoc eodem narratur vbi supra de dictis philosophorum, quod cum quidam Dialecticus illi diceret, quod ego, inquit, sum, tu non es, hoc cum ille annuisset, subdidit alius, ergo tu non es homo hoc, inquit: Diogenes, falsum est; et si vis verum fieri id, quod concludis, a me incipe, dicendo scilicet mihi, tu es homo, concludendo, te non esse hominem.

Comment [c93]: Pg.110

### CAP. XIII.

#### *De sua disputatione cum Antipatro de rerum venditione.*

14 De probabili disputatione huius Diogenis et Antipatri discipuli eius apud Tull. lib. 3. de offic. cap. 12. dicitur, quod aliud Diogeni Babilonio, magno et graui Stoico, aliud Antipatro discipulo eius, homini acutissimo in rebus emendis et vendendis videbatur. Antipatro omnia patefacienda esse videbantur, vt ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoraret. Diogeni vero venditorem, quatenus constitutum sit iure ciuili, dicere vitia oportere; caetera vero sine insidiis agere, et velle quam optime vendere. Et ibi, recitatis vtriusque rationibus probabilibus, concludit auctor, quod in quibusdam causis dubiis ex alia parte defenditur honestas, ex alia parte vtilitas. Vtilitatem reipublicae respiciebat Diogenes, ideo dicebat, quod venditor non cogit emere, emptor quod placet, emit voluntarie, res vendita fuit ei ex opposita parte, et ideo non oportuit venditorem secundum ipsum vitia rei narrare. E contrario alius dicebat, quod ea lege natus est homo, vt prosit humanae societati, et vnus cuiusque vtilitas sit communis, et e contras et sic vterque probabiliter procedebat in sua consideratione.

Comment [c94]: Pg.111

Comment [c95]: Pg.112

### CAP. XIV.

#### *De illius legatione ad Senatum Romanum.*

15 Merito ergo propter suas insignes et multimodas virtutes (sicut possunt esse virtutes sine gratia diuina) fuit apud omnes famosus, et ab omnibus honorandus, vnde ait Tullius lib. 4. Tusc. quaest. cap. 3. Diogenem Stoicum, et Carneadem Academicum, et Critolaum Peripateticum, sicut superaddit Agellius lib. 17. c. vlt. fuisse Legatos ab Atheniensibus ad Senatum populi Romani negotii publici gratia. Ex quo patet, illos fuisse reputatos magnos, et honorificos apud illos. Haec omnia collecta sunt non, ob ipsius commendationem, cum nullus sit vndique commendandus absque diuina gratia perficiente, sed ad excitationem fidelium philosophantium ad ipsum imitandum in praedictis operibus, secundum quod ait Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. c. 9. vbi postquam enarrauit gesta Diogenis, ita concludit. Vnius Philosophi exemplum posui, vt formosuli nostri, et thorosuli, et vix summis pedibus adumbrantes uestigia, et quorum verba in pugnis sunt, et syllogismi in calcibus, qui paupertatem Apostolorum, et Crucis duritiam aut nesciunt, aut contemnunt, imitentur saltem gentilium parcitatem. Ex quibus verbis patet ob quam causam Beatus Hieronymus gesta praedicti philosophi recitauit.

Comment [c96]: Pg.113

## DISTINCTIO TERTIA.

Comment [c97]: Pg.114

De vita Socratis, et eius dictis.

### CAP. I.

*Quod quidam Spiritus fuit eius comes.*

1 His prae habitis de Diogene, redeundum est ad successionem Philosophorum, vbi dimissum est supra. Vt enim ait August. 8. de Ciuit. Dei c. 2. Anaxagorae, qui fuit condiscipulus Diogenis, successit Archelaus; qui posuit omnia constrare ex particulis similibus, vt ait ibi Augustinus, et huius discipulus Socrates fuisse perhibetur, qui fuit mirificus in philosophia, et in virtutibus philosophicis. Ipse enim fuit princeps philosophiae, et de caelo vocauit eam, et in vrbibus collocauit secundum Tull. lib. 5. Tuscul. quaest. c. 4. vt dictum est supra. Vt enim recitatur in Policrato lib. 3. c. 6. et fumitur a Plinio l. 7. c. 31. Socrates Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus est, et sine contradictione septem illos, qui dicti sunt *Sapientes*, incomparabiliter antecessit, non in opinione sapientiae, sed in virtutibus. Et huic fuit quidam spiritus comes, eum in multis erudiens, sicut ait Apuleius in libro, quem inscripsit de *Deo Socratis*, vbi disserit, ex quo genere numinum Socrates habebat adiunctum, et amicitia quadam conciliatum, a quo perhibetur solitus admoneri, vt desisteret ab agendo, quando id, quod agere volebat, non prospere fuerat euenturum. Asserit vero apertissime hunc non Deum fuisse, sed Daemonem, de quo multum Chalcidius super Timaeum lib. 2. Socrati, inquit, a puero comes daemon rerum agendarum praeceptor fuisse perhibetur, non vt hortaretur eum ad aliquem actum, sed vt prohiberet quae fieri non expediret. Et post. Socrati vigilanti non deerat propitia diuinitas, quae et eiusdem moderaretur actus, vt demonstrat Plato in Euthydemo, dicens in persona Socratis: Cum ab ineunte aetate lumen quoddam mihi comes, idque vox est, quae cum ad animum meum, sensumque com meat, significat ab eo, quod agere proposui, temperandum. Hortatur ergo ad nullum actum. Et post ait Chalcidius, eget imbecilla hominum natura praesidio melioris, praestantiorisque naturae tueri. Vox autem illa, quam sentiebat Socrates, non erat talis, vt opinor, quae aere icto sonaret, sed quae ob egregium testimonium proprie intelligenti animae praesentiam solitae diuinitatis reuelaret. Siquidem pura puris misceri fas sit, ita vt in somnis nobis audire videmur voces sermonum, et expressa verba, nec illa vox est, sed vocis officium imitans significatio; sic vigilantis Socratis mens per praesentiam diuinitatis signi perspicui notione augmentabatur. Haec ille. Et de hoc eodem Tull. lib. I. de diuinatione ante finem. Hoc de Socrate, inquit, accepimus, quodque ab ipso in libris Socraticorum saepe dicitur, esse diuinum quiddam, quod daemonion appellat, cui semper ipse paruerit, nunquam impellenti, saepe reuocanti. Et ideo sicut ait ibi: Cum ille magnificus philosophus sententiis impiis esset damnatus, aequissimo animo se dixit mori. Neque enim tunc egredienti de domo, neque ascendenti in locum, in quo causam dixerat, signum vllum, quod consueuerat, a Deo illo, quasi mali alicuius impendentis, datum. Et per hoc concludit ibi Tull. diuinationem esse.

Comment [c98]: Pg.115

Comment [c99]: Pg.116

Comment [c100]: Pg.117

2 De parentibus et origine Socratis recitat Valerius lib. 3. cap. 4. Socrates non solum hominum consensu, sed et Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, Phaenarete matre, et Sophronisco patre marmorario genitus, clarissimum gloriae lumen excessit. Et sequitur. Primus ab indoctis erroribus abductum animum suum in intima conditionis humanae et in secessum pectoris repositos affectus scrutari coegit. Si virtus per se ipsam aestimetur, vitae magister optimus. Haec ille.

Comment [c101]: Pg.118

## CAP. II.

### *De sua studiositate, et humilitate in addiscendo.*

3 Fuit ergo sapientia praeditus, tum quia a tali numine, siue Spiritu, illuminatus secundum dictos philosophos, tum quia studiosissimus; ait enim Tull. lib. 4. Tusc. quaest. Socratem plane vltimas terras lustrasse ad acquirendam sapientiam, et hoc vsque ad senectutem. Vnde Valerius narrat lib. 8. cap. 7. Socratem aetate proeecta fidibus tractandis operam dare coepisse, sacratius iudicans eius artis **vsum** sero, quam nunquam percepisse, aliisque scientiis musicae rationis vtilissimum elementum accedere voluit, et sic dum ad discendum semper pauperem se credit, ad docendum se locupletissimum fecit; et tamen, licet esset sapientissimus, se nihil scire reputabat, propter quod fertur illud dictum esse Socraticum: Hoc scio, me nihil scire. Non ergo mirum, si fuit sapiens, quia supernae illustrationis luminositas, qua ipse fuit illustratus secundum philosophos, aliosque auctores, iugis studiositas, interna humilitas, vitae longaeuitas inducunt sapientiam.

Comment [c102]: Pg.119

## CAP. III.

### *De virtutibus Socratis.*

4 Et non solum polluit sapientia, sed virtutibus philophaicis, et quasi innumeris, prout dicitur de eo in historia tripartita lib. 7. post principium: Socrates apud **Graecos** mirabili castitate, iustitia aliisque virtutibus, quem Plato mirabilis philosophus, et Trogius Pompeius non solum tanquam philosophum humilem honorant, sed vltra hominem pronunciant, ob virtutum heroicarum eminentiam, quibus homines fiunt Diis similes. Vnde et propter vitae elegantiam dicebatur habere numen concomitans, vt dictum est. Et de virtutibus eius, et de matura grauitate narrat Agell. lib. 2. c. I. vbi dicitur, quod Socrates solebat stare pertinaci statu perdius atque pernox, a summo lucis ortu vsque ad Solem alterum orientem, inconniuens, immobilis, iisdem vestigiis, et ore atque oculis in eundem locum directis, cogitabundus, tanquam quodam secessu mentis atque animi facto a corpore. Temperantia quoque tanta fuisse traditur, vt omni fere vitae suae tempore valetudine inoffensa vixerit. In illius etiam pestilentiae vastitate, qua in bello Peloponnesiaco ciuitas **Atheniensium** vastata est, is parcendis, moderandique rationibus, dicitur et a voluptatum labe cauuisse, et salubritates corporis retinuisse, vt nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius. Haec ille. Ex praedictis patet, quam grauis fuit maturitate, quam solidus stabilitate quam modestus sobrietate. vnde Agellius de sua sobrietate lib. 19. cap. 2. vbi ait quod voluptas gustu, et factu foedissima est secundum sapientes, et hae libidines coeundi et comedendi homini cum sue, et asino communes sunt. Ideo dicebat Socrates multos propterea velle viuere, vt ederent, et biberent, se autem bibere, atque esse, vt viueret.

Comment [c103]: Pg.120

Comment [c104]: Pg.121

## CAP. IV.

### *De patientia Socratis.*

5 Patientia etiam mirabili fuit, inuictus in omnibus sustinendis, sicut recolligit Seneca ep. 107. **vbi** ait: non quia difficilia sunt multa non audemus, sed quia non audemus difficilia sunt. Si exemplum desideratis, accipite Socratem senem, per omnia aspera iactatum, inuictum tamen, et paupertate, quam grauiorem illi omnia onera domestica faciebant, et laboribus, quos militares quoque pertulit, et quibus ille domi exercitus, siue vxorem eius spectes moribus feram, lingua petulantem, siue liberos indociles, et matri, quam patri similiores, sic fere semper aut in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate bellis, ac tyrannis saeuioire. Viginti septem annis pugnatum est; post finita arma, triginta tyrannis noxae dedita est ciuitas, ex quibus plerique inimici eius erant. Nouissima damnatio est sub grauissimis hominibus impleta. Obiecta est et religionum violatio, et iuuentutis corruptela, quam immittere in Deos, in patres, in rempublicam dictus est. Post **haec** carcer, et venenum. Haec vsque eo animum Socratis non mouerunt, vt ne vultum quidem mouerint. Illam mirabilem laudem et singularem vsque ad extremum seruauit nec tristioiorem quisquam, nec alarciorem Socratem vidit, aequalis fuit in tanta inaequalitate fortunae. Haec ille. Et de his sparsius in multis aliis locis. Vnde ait epist. 30. quod tyranni triginta eum circumsteterunt, nec potuerunt infringere animum eius. Et epist. 37. quod triginta diebus in carcere, et in expectatione mortis exegit, non hoc animo tanquam multas spes tam longum tempus reciperet; sed vt se praeberet legibus, vt fruendum extremum amicis Socratem daret.

Comment [c105]: Pg.122

Comment [c106]: Pg.123

## CAP. V.

### *De patientia eius in sustinendo rixas vxorum, et familiae.*

6 Et licet multimodas persecutiones habuerit et **molestias**, vt dictum est, mirabilis tamen patientiae semper fuit; ingentem enim molestiam passus est ab vxoribus, sicut recitat Hieronymus contra Iouinianum lib. I. cap. 29. quod Socrates Xantippen, et Miron neptem Aristidii, duas habebat vxores; quae cum crebro inter se iurgarentur, et ille eas irridere solitus esset, quod propter se, foedissimum hominem, simis naribus, recalua fronte, pilosis humeris, repandis cruribus disceptarent; nouissime verterunt in eum impetum, et male mulctatum, fugientemque diu persecutae sunt. Quodam vero tempore, cum infinita conuitia ex superiori loco ingerenti Xantippae restitisset, aqua perfusus immunda, nil amplius respondit, quam capite detergo: sciebam, inquit, futurum quod ista tonitrua imber sequeretur. Et de sua patientia in sustinendis conuitiis vxoris Xantippae narrat Agellius lib. I. cap. 17. quod cum Alcibiades eum interrogaret, quare **Xantippen** vxorem admodum morosam, iniuriosam, et quae die, noctuque muliebribus scatebat molestiis, domo non abigeret? inquit; cum talem domi perpetior, insuesco, et exerceor, vt caeterorum foris petulantiam et iniuriam facilius feram. Virtuosae ergo patientiae fuit, qui molestiis vtebatur ad exercitium, non ad impatientiae impetum.

Comment [c107]: Pg.124

Comment [c108]: Pg.125

7 Item filios habebat similes praedictae vxori, vt dictum est supra, et ita discolos et sibi dissimiles, et sic sibi inobedientes; imo vt ait quidam Sapiens in suo tractatu, quod habuit vxorem scortatricem, et filios scortatores, seruumque etiam habebat discolum, et sibi molestum, erga quem tamen erat patiens, prout narrat Seneca lib. I. de ira c. 15. vbi ait, quod vindicta, siue



poena differenda est ad emendationem illius, qui debet puniri. Vnde Socrates seruo ait: caederem te, nisi irascerer. Admonitionem serui in tempus sanius distulit; illo tempore se admonuit. Cuius erit temperatus affectus cum Socrates non sit ausus se irae committere? Haec ille. Multum ergo fuit patiens in sustinendo molestias, siue iniurias propriae familiae.

Comment [c109]: Pg.126

## CAP. VI.

### *De patientia eius in sustinendo iniurias illatas ab aliis, et de sua moderantia.*

8 Item fuit patiens in sustinendo iniurias illatas ab aliis, prout narrat Seneca lib. de constantia sapientis cap. 18. Respiciamus, inquit, exempla eorum, quorum patientiam laudamus, vt Socratis, qui comoediarum in se publicatos, et spectatos sales in partem bonam accepit, risitque non minus, quam cum ab vxore Xantippe immunda aqua perfunderetur. Et lib. 3. de ira cap. 11. ait, quod iniuriarum aliae differenae sunt, aliae deridendae, aliae donandae. Circumscribenda multis modis est ira, pleraque in lusum, iocumque vertantur. Socratem, aiunt, colapho percussum, nil amplius dixisse, quam molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent. Multum ergo dominabatur suis passionibus, qui sic se temperabat. Vnde sequitur ibidem, quod in Socrate signum erat irae, vocem submittere, loqui parcius; appetebat enim tunc ille sibi ob stare. Deprehendebatur itaque a familiaribus, et coarguebatur, nec erat illi exprobatio irae latitantis ingrata. Et ideo quando sentiebat se habere occasionem irascendi, resistebat, et laborabat, vt cum ratione cohiberet impetus, prout narrat Tull. lib. 4. Tusc. quaest. cap. 37. Qui, inquit, a natura dicuntur iracundi, aut inuidi, aut tale quid, ii sunt constituti quasi mala valetudine animi, sanabiles tamen. Vnde dicitur de Socrate quod cum multa conuitia in conuentu in eum collegisset Zopyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est a caeteris, qui illa in Socrate vitia non agnosceret; ab ipso autem Socrate subleuatus est, cum illa sibi signa, sed ratione a se deiecta esse, diceret. Naturaliter inerant tales passiones, sed ratione cohibebat eas et domabat; propter quod ait de eo Solinus lib. 2. quod inter alia Socratis magna, praeclarum est illud, quod in eodem vultus tenore etiam aduersis interpellantibus, se praestitit.

Comment [c110]: Pg.127

Comment [c111]: Pg.128

## CAP. VII.

### *Qualiter inuictus permansit ab inimicis exterioribus.*

9 Et sicut inuictus fuit ab iniuriis hominum, ita inuictus fuit a molestiis paupertatis, vt dictum est supra a Seneca; fuit enim omnium mundialium contemptor, sicut caeteri philosophi et multo amplius ex quo fuit magister, et princeps philosophorum, prout ait Tullius lib. 4. Tusc. quaest. cap. 29. loquens de contemptu omnium mundialium a philosophis. Omnes, inquit, philosophi omnium disciplinarum, nisi quos a recta ratione natura praua detorsit, eodem hoc animo fuerunt, siue esse potuerunt. Socrates, inquit, cum magna vis auri et argenti offerretur, quam multa, inquit, non desidero. Omnia enim dimisit Socrates, inquit Hieronymus lib. 3. in Matth. c. 19. licet non debito fine, quia non propter Christum. Et licet omnia sic dimisisset, non tamen importune petebat etiam necessaria, sicut narrat Seneca lib. 7. de benef. cap. 24. Cum homines loquerentur de rebus emendis, ait Socrates, amicis audientibus: emissem, inquit,

Comment [c112]: Pg.129

pallium, si nummos haberem. Neminem poposcit, omnes admonuit. Et sic ibi concludit, quod propter acerbas exactiones rem petere prohibemur, non vt nunquam fiat, sed vt parce fiat.

Comment [c113]: Pg.130

## CAP. VIII.

### *De contemptu pomparum saecularium.*

10 Item licet indigeret, non importune ingerebat se ad magnates, nec munera acceptabat, prout narrat Seneca lib. 5. de benef. c. 4. Archelaus Rex Socratem rogauit, vt ad se veniret, dixisse Socrates fertur, nolle se ad eum venire; a quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non posset. Et ibi opponit Seneca, qualiter ait hoc? cum Archelaus daturus esset aurum et argentum, recepturus contemptum vtriusque, quod scilicet maius esset? Item poterat referre gratiam, et tantum erat accepturus, quantum dabat. Item parem gratiam referre non posset, si illum docuisset regnare? quod erat maius beneficium. Et respondet, quod hoc dixit vir facetus, et cuius per figuras sermo procedere solebat, derisor omnium, maxime potentium: maluit illi mansuete negare, quam contumaciter, aut superbe. Item, timuit fortasse, ne cogere accipere quae nollet. Timuit, ne quid indignum Socrate acciperet. Sed dicit aliquis, negasset, quae noluisset; sed tunc instigasset in se regem insolentem, et omnia sua magno aestimari volentem. Et sequitur. Vis scire, quid vere noluerit? noluit ire ad voluntariam seruitutem is, cuius libertatem ciuitas libera ferre non potuit. Haec ille. Ex quibus patet, quod est seruitus acquiescere inuitationibus magnatum, et eos suspicere.

Comment [c114]: Pg.131

## CAP. IX.

### *De vtilitate suae doctrinae.*

11 Item fuit benignus et pius remissor mercium, siue pecuniarum sibi debitarum, prout narrat Seneca lib. I. de benefic. cap. 8. Socrati cum multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent, Aeschines pauper auditor, nihil, inquit, dignum te, quod dare possim, inuenio, et hoc vno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi quod vnum habeo, meipsum: hoc munus togo, qualecunque est, boni consulas, cogitesque alios, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates, quid ni, inquit, tu mihi magnum dederis munus, nisi forte parui te aestimas? Habebo itaque curae, vt meliorem te tibi reddam, quam accepi. Haec ille. Ex quibus et discipuli patet probitas, quod se dedit pro sapientia habenda, ex quo non habuit bona fortunae, prout ait ibi Seneca c. 9. quod quia non potuit dare bona fortunae, de suo se dedit, pretium sui se fecit; inuenit enim quomodo Socrate sibi daret. Item patet magistri benignitas, qui non desiderauit pecuniam, sed discipulum perfectum. Ex praedictis apparet, quod ex quo fuit virtutibus tam venerandus, et sapientia praeditus, et moribus tam ornatus, quod fuit aptus ad alios docendos, et ad mores aliorum corrigendos; propter quod auditores sui profecerunt, prout ait Seneca epist. 56. Plus, inquit, homines oculis, quam auribus credunt. Longum iter est per praecepta, breue et efficax per exempla. Et sequitur. Plato et Aristoteles, et omnis turba sapientum plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit.

Comment [c115]: Pg.132

Comment [c116]: Pg.133

## CAP. X.

### *De rectitudine sua in iudicando.*

12 Et ideo fuit idoneus ad docendum, quia fuit rectus in sententiis, et iudiciis; secundum enim veritatem rei iudicabat, et sententiabat, prout ait Tullius, loquens de eo lib. 5. Tusc. quaest. c. 16. Princeps, inquit, philosophiae (scilicet Socrates) differebat, qualis cuiusque animi affectus esset, talem esse hominem; qualis autem ipse homo esset, talem esse eius orationem. Recte ergo iudicabat sine personarum acceptione. Vnde ibid. cap. 12. Tull. quod Socrates in Gorgia, cum esset ab eo quaesitum, Archelaum Perdiccae filium, qui cum fortunatissimus esset, nonne beatum putaret? haud scio, inquit, nunquam cum eo locutus sum. Quid? an non hoc scire poteris, cum sit rex magnus? Nullo modo, inquit, cum ignorem, quam sit doctus, quam sit vir bonus. Ibiq; concludit auctor: bonos esse beatos, improbos esse miseros. Miser ergo Archelaus, scilicet ille potens? certe si iniustus. Haec ille. Non ergo iudicabat, nec praeferebat homines aliis ob eminentiam bonorum exteriorum, sed ob praestantiam bonorum interiorum, scilicet sapientiae et virtutis. Vnde idem Tull. lib. 3. Tusc. quaest. c. 32. ait, quod Socrates cum Alcibiadi (qui erat potens et diues) persuasisset eum nihil hominis esse, nec quicquam inter Alicbiadem, summo loco natum, et quemuis baiulum interesse, se afflictauit Alcibiades, lachrymansque Socrati supplex orauit, vt sibi virtutem traderet, turpitudinemque depelleret. Voluit ergo Socrates innuere, quod nihil intererat inter Alcibiadem, et inferiorem quoad exteriora, sed tantum interesse, si virtutem maiorem haberet, contrariumque depelleret.

Comment [c117]: Pg.134

Comment [c118]: Pg.135

## CAP. XI.

### *Qualiter contempsit Deos Gentium.*

13 Quam rectus autem fuit in iudicando Deos nullo modo honorandos, propter quod nolebat iurare per eos, narrat Tertull. in Apolog. cap. 14. Taceo, inquit, de philosophis, Socrate contentus, qui in contumeliam Deorum quercum, hircum, et canem deierabat. Sed propterea damnatus est, quia Deos destruebat. Et de hoc August. de vera relig. cap. 1. Socrates, inquit, audacior caeteris perhibetur, iurando per canem quemlibet, et lapidem, et quidquid iurationi esset in promptu, et quasi ad manum occurrisset. Credo, intelligebat qualiacunque opera naturae, quae administratione, et diuina prouidentia gignerentur, multo quam hominum quorum libet opificum esse meliora, et ideo diuinis honoribus digniora, quam ea, quae in templis colebantur. Haec ille. Vnde pro hac veritate mortem passus est, prout ait 1. de Consolat. c. 3. philosophia, alloquens Boetium, quod praeceptor Platonis (Socrates) iniuste, me astante, (scilicet philosophia) victoriam mortis promeruerit. Vbi ait expositor, quod quia noluit iurare per Deos, scilicet Apollinem, et alios, missus est in carcerem, compulsusque est bibere herbam veneniferam. Constans ergo fuit in suis sententiis, et rectus.

Comment [c119]: Pg.136

## CAP. XII.

Comment [c120]: Pg.137

### *De Sapientia sua in consulendo.*

14 In consiliis autem dandis, et hominibus docendis fuit veridicus; de cuius dictis et consiliis Valerius lib. 7. c. 1. Socrates, inquit, humanae sapientiae quasi quoddam terrestre oraculum, nihil ultra petendum a Diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent, quia Dii demum scirent, quid unicuique esset utile; nos autem plerumque id votis expeteremus, quod non impetrasse melius foret: et enumerat illa, sicut sunt diuitiae, honores, et regna, splendida coniugia, quae multis nocuerunt. Ibidem: Socrates, ait, expedita et compendiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent, ut quales videri vellent, tales essent. Idem Tull. lib. 2. de offic. cap. 12. ubi ait. Compendiaria via ad gloriam, ut qualis quisque haberi vellet, talis esset. Item Valerius ubi supra, quod consultus a quodam adolescente, utrum uxorem duceret, an a matrimonio abstineret? respondit, utrumlibet, id est, quodcumque faceret, poenitentiam acturum; hinc enim solitudo, et orbitas, scilicet si non duceret, illic perpetua sollicitudo, scilicet si duceret. Idem hoc in Communiloquio, ubi de matrimonio, distinct. 1. Ibidem Valerius. Cum vxor clamaret eum innocentem periturum; quid ergo, inquit ille, nocenti mihi mori sanctius esse duxisti? quasi diceret, melius est mori innocens, quam nocens. Ibidem. Neminem dum adhuc viueret, beatum debere dici asseruit. Ibidem. Cum videret quendam morentem, duxit eum in arcem, et dixit, oculos circumfer in has partes, et cogita quam multi motus futuri sint sub iis, ac dimitte mortalium incommoda, tanquam propria deflere. Item ibidem, ex dictis suis colligitur, non oportere nos quae fortuita patimur, aduersa praecipue, et intolerabilia, amaritudines iudicare. Item interrogatus, quid ex bonis suis secum ferret? inquit, omnia bona mea mecum porto, id est, virtutes, et sapientiam; bona enim exteriora non reputabat sua. Haec ibi. Valerius.

Comment [c121]: Pg.138

Comment [c122]: Pg.139

15 Qualiter autem sapienter responderit quaerenti ab eo, quare ei peregrinationes non prodessent? Seneca ep. 30. inquit, dixisse. Quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te tecum circumferas, premit te eadem causa, quae te expulit, quid terrarum nouitas potest iuuare? quid cognitio urbium, et locorum? in irritum cedit ista iactatio. Quaeris quare te ista fuga non adiuuerit? tecum fugis, onus animi deponendum est, non autem alias tibi vllus placebit locus. Haec ibi. Item de alia sapienter responsione sua Policratus lib. 5. c. 6. Socrates quaerenti quomodo quis optimam famam compararet? Si gesserit, inquit, optima, et locutus fuerit pauca.

## CAP. XIII.

Comment [c123]: Pg.140

### *De Notabilibus dictis eius.*

16 De dictis eius notabilibus, siue prouerbiis recitatur in libro de speculo. Oriente sole consilium, occidente conuiuium cogitandum. Age sic alienum, ut tuum non obliuiscaris negotium. Velox consilium sequitur poenitentia. Cum amicis breues orationes, longas amicitias habere oportet. Negat sibi ipse, qui quod difficile est, petit. Principium amicitiae, bene loqui. Contraria consilio ira et festinatio. Malum alienum tuum ne feceris gaudium. Exordium inimicitiarum male dicere. Amicus raro acquiritur, cito amittitur. Fallere poteris famam, conscientiam nunquam. Nulli imponas, quod ipse pati non poteris. Hoc exhibe, quod tibi vis exhiberi. Absentem lauda, minime praesentem. Sepultus apud te sit sermo, quem solus audieris.

Si bene egeris, tuae personae auctoritatem dabis. Haec fuerunt dicta Socratis, prout ait compiler illius tractatus.

Comment [c124]: Pg.141

17 Et de quibusdam istorum in tractatu de dictis philosophorum, vbi alia recitantur, inquit Socrates. Patientia est miseriarum portus. Ibidem. Quae concessit fortuna, temperet iustitia. Quod iustitia inuenerit, temperet moderantia; si enim fortunae auxeris licentiam, imminues gloriam. Ibidem dicitur, quod cum Socrates hospites suos satis tenui coena suscipere pararet, et amicus eius hoc ei intimaret, respondit: si boni sunt, aequanimiter ferant, si mali non curandum. Item ibidem Socrates, cum quidam ex eius doctrina bene meriti discipuli discederent, rogantes eum, vt aliquod praeceptum ordinandae vitae perciperent, iussit eos secum in diuersorium venire, vxoremque in superioribus constitutam vocauit, iussitque vasa melle et oleo plena, vt eiiceret; admirantibusque discipulis, ait: Si hanc in domibus vestris semper rerum potestatem habueritis, beatam vitam disponetis, quasi diceret, cum in domibus vestris omnes obaudierint, quietam vitam, et sic beatam ducetis. De oraculo vero Socratis in Policrato lib. 7. c. 3. ita habetur. Socraticum, inquit, fertur oraculum, neminem locupletem fieri, vt doceat, nisi se ad discendum pauperem et egenum credat.

Comment [c125]: Pg.142

18 Et non solum praedictis virtutibus fuit praeditus, sed in sui regimine prouidus; nam et studiosos labores et seriosos honesto solatio temperabat. Vt enim ait Valerius cap. 8. lib. 8. Socrates, cui nulla pars sapientiae obscura fuit, non erubuit, cum interposita arundine cruribus suis, cum paruulis filiis luderet, ad Alcibiade derisus est, vt dicitur etiam in Policrato c. 6. Otiari enim interdum sapienti familiare est, non vt virtutis exercitium euanescat, sed quod magis vigeat, et quodammodo recreetur, vt dicitur ibidem. Qualiter se regebat in vtendo alimentis Tull. lib. 5. Tusc. quaest. c. 34. Socratem, inquit, ferunt, cum vsque ad vesperam contentius ambularet, quaesitumque ab eo esset, quare id faceret? respondisse se, quo melius caenaret, obsonare ambulando famem. Quod creditur fecisse, non vt plus caenaret, sed vt sanius, scilicet post famem. Qualiter autem mundo vtebatur, quasi non vtens, patet ex sua responsione eodem lib. cap. 37. vbi dicitur, quod cum ab eo quaeretur, cuiatem se diceret? *mundanum* inquit; totius mundi se incolam et ciuem arbitrabatur, nullam partem mundi sibi appropriando, sed quasi se peregrinum reputando, quales se reputabant nobiles philosophi; de quibus loquitur ibi. De immutabili constantia sua patet supra in parte, de qua Valerius lib. 3. c. vltimo, vbi ait, quod Socrates restitit toti multitudini, ne decem Praetores occiderentur.

Comment [c126]: Pg.143

#### CAP. XIV.

Comment [c127]: Pg.144

#### *De constantia Socratis specialiter in morte.*

19 De constantia vero sua in sustinendo mortem supra tactum est, de qua Seneca 1. de consolat. ad Heluiam matrem c. 13. Socrates, inquit, eodem illo vultu, quo aliquando solus triginta tyrannus in ordinem redegerat, carcerem intrauit, ignominiam ipsi loco detracturus; neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. Qualiter autem se habuit ante mortem, narrat idem Seneca lib. de prouidentia cap. 3. vbi ait, quod Socrates illam potionem, publice mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit, et de morte disputauit usque ad ipsam. De causa vero mortis et modo expositor super Boetium de disciplin. Scholar. c. 4. ait, quod vnus ex discipulis Socratis eum accusauit de eo, quod fecerat librum de Deo, et non de Diis, vnde compulsus fuit haurire herbam veneniferam, qua exhausta in nomine illius Dei, non est mortuus. Item compulsus est haurire in nomine Deorum, et mortuus est; ex quo patuit apud

Comment [c128]: Pg.145

eos, illum esse Deum potentiolem Diis. Vnde Seneca epist. 67. Calix venenatus transtulit Socratem e carcere in coelum; scilicet secundum existimationem eorum.

20 Et de constantia sua in praedictis narratur in principio Phaedonis apud Platonem, vbi inquit Echecrates de iis, quae acta sunt circa Socratem, die qua mortuus est, et bibit pharmacum? Et ille respondit, quod ingressi ad eum, inuenerunt Xantippem vxorem tenere puerum suum, et illa exclamauit, dixitque quaedam eiulans, vt solent mulieres, et ille aspiciens in Critonem: abducatur quis, inquit Socrates, hanc domum, et illam quidem abduxerunt quidam Critonis domestici; et interpositis multis **inquisitionibus**, in fine libri refertur, quod Socrates hominem intuitus, qui ferebat venenum, ait: Tu horum gnarus dic, quid me oportet facere? nil aliud, ait ille, quam post potionem deambulare vsquequo grauedo in cruribus fiat, dehinc recubare; et porrexit calicem Socrati, quem ille hilariter admodum accepit, nihil omnino commotus, neque colore, neque vultu mutato, sed quemadmodum consueuerat, alacriter hominem respiciens, quantum, inquit, de hoc poculo ad hauriendum alicui sufficit? Cui cum ille dixisset, tantum se contriuisse veneni, quantum satis fore putauit. Quibus dictis, Socrates arrepto poculo facile admodum, alacriterque ebibit, dicens, et pariter sustinens, valde hilariter. Haec ibi; multaque alia de dictis eius, et gestis in morte.

Comment [c129]: Pg.146

#### CAP. XV.

Comment [c130]: Pg.147

##### *De illius somnio ante mortem.*

21 De somnio autem illius ante mortem Tull. de diuinat. lib. 1. c. 25. ait. Est apud Platonem, quod, cum Socrates esset in custodia publica, dixit Critoni suo familiari, sibi post tertium diem esse moriendum, et vidisse se in somnis pulchritudine eximia faeminam, quae, se nomine appellans, diceret Homericum quendam eiusmodi versum

*Tertia te Phithiae tempestas laeta locabit.*

quod, vt dictum est, sic scribitur contigisse. Haec ille.

#### CAP. XVI.

##### *De honore ipsius post mortem, et de punitione suorum accusatorum.*

22 De honore vero sibi exhibito post mortem narrat Tertull. in Apologet. c. 14. quod **Socrates** in contumeliam Deorum quercum, et hircum, et canem deierabat. Sed propterea damnatus est, quia Deos destruebat. Plane olim, id est semper, veritas odio est. Tamen cum poenitentia sententiae Athenienses criminatores Socratis postea afflixerint, et imaginem eius auream in templo collocarint, rescissa damnatio testimonium Socrati reddidit. Haec ille. Et merito fuerunt ducti poenitentia Athenienses quia vt ait Commentator Ethicor. 5. Socrates accusatus dixit: Socratem Athenienses damnare possunt, et occidere; iniustificare non possunt. Et de hoc eodem ait Commentator Ethic. 1. quod Socrates in virtute et sapientia viuens, iniusta vindicta mortem pertulit.

Comment [c131]: Pg.148



## CAP. XVII.

### *De aetate sua.*

23 Quantum vixit Socrates Tull. de senectute cap. 2. **narrat**, vbi ait: Socrates librum, qui *Panaethenaicus* inscribitur, nonagesimo quarto anno scripsisse dicitur, vixitque quinquennium postea.

Comment [c132]: Pg.149

## CAPVT XVIII.

### *De responsione sua quaerenti de sepultura.*

24 De responsione eius de sua sepultura narrat Tull. l. 1. Tusc. quaest. ante finem. Socrates, inquit, cum de immortalitate animarum disputasset, et iam tempus moriendi vrgeret, rogatus a Critone quemadmodum sepeliri vellet? multum, inquit, operam, amici, frustra consumpsi, Critoni enim nostro non persuasi, me hinc auolaturum, neque quicquam mei relicturum. Veruntamen, Crito, si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, vt tibi videbitur, sepelito. Sed mihi crede, nemo me vestrum, cum hinc excessero, consequetur. Haec ille, quasi diceret, nihil mei hic **relinquam**, sed me totum mecum auferam.

Comment [c133]: Pg.150

## CAP. XIX.

### *Quo tempore fuit natus, et mortuus.*

25 Natum esse Socratem tempore Xerxis Regis dicitur in historia Scholastica super librum Iudith, sub finem c. 4. mortuum vero tempore Assueri refertur in eadem historia super Esther. cap. 1. in fine. Quantis demum virtutibus philosophicis, et operibus imitabilibus viguit Socrates, patet ex supradictis.

## CAPVT XX.

### *Quod tres fuerunt Socrates, prae caeteris illustres.*

26 Et ne contingat error in nomine, fuerunt tres, qui vocabantur hoc nomine *Socrates*. Vnus scilicet praemissus, de quo hactenus ista sunt dicta; secundus **Socrates** Graecus orator, de quo lib. 1. Saturnal. in principio; cuius egregium dictum ibi recitatur. Cum enim in conuiuio a sodalibus oraretur, vt aliquid in medium de eloquentiae suae fonte proferret, respondit: Quae praesens locus exigit, et tempora, ego non calleo; nec loco, quae ego calleo, sunt praesenti apta, nec tempori. Tamen in prologo Policrati recitatur simile dictum de Socrate, quando fuit quaesitum ab eo, quare non in forensibus negotiis versaretur? Tertius Socrates fuit vnus de compileribus historiae tripartitae; fuit enim compilata a Sozomeno, Theodorito, et Socrate historiographis Graecis, vt dicitur in prologo illius historiae.

Comment [c134]: Pg.151

## QVARTA DISTINCTIO.

Comment [c135]: Pg.152

De vita Platonis.

### CAP. I.

*De origine eius, et de iis, quae acciderunt post ortum suum.*

1 His habitis de vita, et dictis Socratis, sequitur de vita, et dictis Platonis, cuius Magister perhibetur fuisse Socrates; inter cuius discipulos non quidem immerito excellentissima claruit gloria quae omnino caeteros obscuraret. Qui cum esset Atheniensis, honesto apud suos loco natus, et ingenio mirabili, longe condiscipulos suos anteiret, parum tamen putans proficiendae philosophiae sufficere seipsum, ac Socraticam disciplinam, quam longe lateque potuit, peregrinatus est. Quacumque versus eum alicuius nobilis scientiae percipiendae fama rapiebat, ut ait Augustinus 8. de ciuit. Dei cap. 3. De origine autem huius Platonis recitat Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. cap. 2. opinionem antiquorum philosophorum, licet erroneam. Speugippus, inquit, sororis Platonis filius, et Eleazarus in laude Platonis, et Anaxilides lib. 2. philosophiae, Perictionem matrem Platonis fantasmate Apollinis oppressam fecerunt, et sapientiae principem non aliter nisi de partu virginis editum. Qualiter autem descendit examen apud super os eius, quando erat in cunis, Tull. lib. 1. de diuinatione c. 16. Ad Platonem, inquit, cum in cunis paruulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est singulari illum suavitate orationis fore, ita futura eloquentia in infante praeuisa est. Idem recitat Valerius lib. 1. c. 4.

Comment [c136]: Pg.153

### CAP. II.

Comment [c137]: Pg.154

*De somnio matris, et de eius nomine.*

2 De somnio Socratis nocte, antequam fuit Plato ad eum adductus, necnon et de parentibus eius, et aliis notabilibus narratur in libro, qui dicitur *Sudae*. Plato, inquit, Aristonis, a Solone trahentis genus, filius erat, de quo dicitur, quod ex quadam diuina visione mater eius praegnans facta est, et peperit Platonem. Philosophatus autem est apud Socratem: et sermo est, vidisse Socratem nocte, qua traditus est ei Plato, cygnum ipsius genibus supersedentem. Appellabatur autem Aristocles, propter latum vero pectus nominatus est *Plato*; alii autem dicunt, propterea quia latus est in suis sermonibus.

### CAP. III.

Comment [c138]: Pg.155

*De illius peregrinatione pro acquirenda philosophia, et studiositate.*

3 De laboriosa sua peregrinatione, et sedula studiositate idem Aug. vbi supra ait, quod in Aegypto didicit quaecumque illic habebantur, atque docebantur, et inde in eas Italiae partes veniens, vbi Pythagoreorum fama celebrabatur, quidquid Italica philosophia tunc docebat, auditis eminentioribus in ea Doctoribus, facillime comprehendit: et quia magistrum Socratem

singulariter diligebat, eum loquentem faciens fere in omnibus sermonibus suis, etiam illa, quae vel ab aliis didicerat, vel etiam ipse, quanta potuerat diligentia, viderat, cum illius lepore, et moralibus disciplinis intemperauit. Haec ille. Et de illius virtutibus, facundia, origine, et peregrinatione pro acquirenda sapientia Valer. lib. 8. c. 7. ait, quod Plato praeceptorem Socratem sortitus est, hominem doctrinae fertilissimum, et sic de multis aliis, quae ibi enumerat, et specialiter de sua peregrinatione, et de hoc multum in Policrato lib. 7. cap. 5. sumitur de tractatu, qui dicitur esse de vita Platonis. Vnde dicitur ibi, quod, teste Apuleio, prius Aristocles dictus est, sed deinde a latitudine pectoris Plato.

Comment [c139]: Pg.156

4 Et in tanta eminentia philosophiae, et vigore ingenii, et studii exercitio, et omnium morum venustate, eloquii quoque suauitate et copia subuectus est, vt quasi in throno sapientiae residens, percepta quadam auctoritate, visus est tam antecessoribus, quam successoribus philosophis imperare. Et sequitur ibi varia aliquorum opinio de suo conceptu, et origine, praesertim quod Apolloninis figuratio matri eius Perictioni se miscuerit, vt dictum est supra. Et post. Doctores habuit in prima litteratura Dyonisium, in palaestra Aristonem Argis oriundum, tantosque progressus ei exercitatio contulit, vt Pythiae luctando certamina vicerit. Picturae non aspernatus artem, tragoediis quoque, et ditriambis se vtilem finxit, itaque carminum confidentia elatus, certatorem se profiteri cupiebat, nisi Socrates humilitatem huius cupidinis ab eius animo expulisset, et verae laudis gloriam ei curasset ingerere. Et antea quidem Heraclidis secta fuerat imbutus, verum cum se Socrati dedisset, non solum ingenio, atque doctrina coeteros Socraticos vicit; sed etiam labore, et elegantia sapientiam illustravit, eique recta assertionem sensuum, maiestateque verborum plurimum adhibuit dignitatis. Socrate siquidem excedente, se ad Pythagorae contulit disciplinam, quam etsi ratione diligenti, et magnifica videbat instructam, rerum tamen conscientiam, et castitatem magis cupiebat imitari. Deinde Theodorum Ciraenensem adiit, vt Geometriam disceret. Inde Aegyptum petiit, vt Astrologiae vacaret, ibique a plurimis creditus est didicisse oracula prophetarum. Vnde rursus in Italiam rediit, et Pythagoreum Tarentinum Architam secutus est, atque ad Indos, Medos, Magos animum intendisset, nisi eum procedere vetuissent bella Caetica. Quapropter inuenta Parmenidae et Zenonis diligentius executus, quae apud magnos philosophos admiratione fuerant singula, in libris suis collegit vniuersa, docens primus, studia philosophiae non esse contraria, sed inuicem necessaria sibi, eo quod mutuis auxiliis vniuersa constituunt. Multi auditorum eius vtriusque sexus in philosophia floruerunt. Patrimonium in hortulo, qui academiae iunctus erat, in duobus ministris, et patera, qua Diis supplicabat, reliquit. Auri tantum habuit, quantum puer auricula gestauerat, in nobilitatis insigne.

Comment [c140]: Pg.157

Comment [c141]: Pg.158

#### CAP. IV.

Comment [c142]: Pg.159

##### *De triplici aduentu illius in Siciliam.*

5 Tres aduentus eius ad Siciliam mali diuersis opinionibus carpunt, sed primo, vt ministerium naturae cerneret in Aetna, et incendiorum intelligeret rationem, illuc profectus est. Secundo petito Dyonisii, vt Syracusanis assisteret, et vt municipales illius prouinciae disceret leges. Tertio, vt fugientem Dionem restitueret patriae suae, venia a Dionysio impetrata. Sed in his omnibus adeo diligens extitit, vt officii philosophiae nullo vmquam tempore suspenderetur. Haec in Policrato. Et de sua peregrinatione pro philosophia acquirenda Hieron. epist. 35. et etiam in prologo Bibliorum: Legimus, inquit, quasdam nouas lustrasse prouincias, etc. et ponit

exemplum de Pythagora, et de Platone, vt patet ibi. Et de hoc eodem in supradicto tractatu, qui dicitur *Sudae*, vbi refertur quod venit Plato in Siciliam ad tyrannum Dionysium, et venditus est a tyranno.

Comment [c143]: Pg.160

6 De honore tamen sibi exhibito a Dyonisio narrat Plinius lib. 7. cap. 30. quod Platoni, sapientiae Antistiti, Dyonisius tyrannus alias saeuitiae, superbiaeque natus, vittam nauem misit sibi obuiam, ipseque quadrigis albis egredientem suscepit. Patet ergo ex praedictis quantum sapientiam duxerit, et quantum pro ea laborauerit, et quam dignus fuit ipsa sapientia, et in tantum sapientia profecit, quod dicebatur *Deus quidam philosophorum*, prout ait Tullius de natura Deorum lib. 2. c. 12. et de hoc August. 4. contra Iulianum ante finem. Cicero, inquit, vocauit Platonum *Deum Philosophorum*. Vnde et de ipso in Policrato vbi supra dicitur, quod non solum Heroum virtutibus praestitit, sed aequiparasse Deos, Deorumque potestates.

## CAP. V.

Comment [c144]: Pg.161

### *De eius abstinentia, et mortificatione carnalium voluptatum.*

7 De illius virtutibus variis patet in diuersis libris. Fuit abstinentia moderatus, et ideo non laboribus fractus, sed vita longaeuus, vt ait Seneca epist. 58. Plato ipse ad senectutem se diligentia pertulit. Erat quidem corpus validum, ac forte sortitus, et illi nomen latitudo pectoris fecerat, sed nauigationes, et pericula multum detraxerunt viribus: parsimonia tamen, et eorum quae auiditatem euocant, modus et diligens sui tutela perduxit illum ad senectutem, multis prohibentibus causis. Haec ille. Vnde et de sua moderantia Tull. lib. 5. Tusc. quaest. c. 34. vbi ait: Intelliges, inquit, qui voluptatem maxime sequuntur, eos minime consequi iucunditatem, quia victus in desiderio, non in satietate est. Et c. 15. Vnde Timotheum clarum hominem Athenis, et principem ciuitatis ferunt, cum coenasset apud Platonem, eoque conuiuio delectatus esset, vidissetque Platonem postridie, dixisse: vestrae quidem coenae non solum in praesentia, sed et postero die iucundae sunt. Haec ille: quasi diceret. Ex coenis vestris non sunt homines grauati crapula et ebrietate, nec mente impediti. Vnde sequitur ibidem, nec mente vti possumus multo cibo, et potione completi.

Comment [c145]: Pg.162

8 Item fuit in mortificatione libidinum, et concupiscentiarum sibi, et aliis austerus, prout recitat de ipso Hieron. contra Iouin. lib. 2. cap. 4. Plato, inquit, cum esset diues pro tempore, et conditione, et thoros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, vt posset vacare philosophiae, villam elegit Academicam, villam ab vrbe procul, non solum desertam, sed et pestilentem, vt, cura et assiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum, quas discerent. Est enim via omnibus praeclusa disciplinis, si comes sapientiae sobrietas non ametur, quam vtique tenere non possunt, qui clamitant omnia siccis et inopibus dura esse proposita. Vnde et ipse Plato ait, philosophiam esse meditationem moriendi, prout dicit Macrob. lib. I. de somnio Scipionis post med. et subiungit, quod Plato duas mortes hominis nouit, vnam animae, alteram animalis. Sed ipsius quoque animalis, hoc est hominis, duas asserit mortes; quarum vnam natura, alteram virtutes praestant. Homo enim moritur, cum anima corpus relinquit solum lege naturae. Mori etiam dicitur tunc, cum anima, adhuc in corpore constituta, corporeas illecebras, philosophia docente, contemnit, et cupiditatum dulces infidias reliquasque omnes exuit passiones. Hanc ergo mortem, dicit Plato, esse philosophis appetendam. Haec ille. Ex praedictis patet, qualiter mortificabat

Comment [c146]: Pg.163

Comment [c147]: Pg.164

illecebras, et mortificari persuadebat, et qualiter sententia sua cum Evangelica, et Apostolica concordabat doctrina.

## CAP. VI.

### *De contemptu omnium mundialium.*

9 Item fuit in contemptu omnium mundialium perfectus, prout dicuntur philosophi perfecti; nullus enim est perfectus simpliciter absque gratia diuina perficiente. Vnde de eo Hieron. vbi supra. Platonici et Stoici in templorum lucis, et porticibus versabantur, vt admoniti angustioris habitaculi sanctitate, nil aliud, quam de virtutibus cogitarent. Et constat, quod Platonici exemplo et documento Platonis magistri sui hoc faciebant. Vnde et in libro supradicto, qui dicitur *Sudae* habetur, quod Plato conuersatus est in Academia, docens; sed ipse philosophus pauper erat, et solum eum, qui in Academia erat, possedit hortum, quae pars minima erat successorum. Hortus autem prope aurea tria numismata reddebat. Totus questus posteris ad mille, vel plura parum augmentatus est; et hoc secundum iuniorum tempora hominum, et successorum philosophorum, aliisque morientibus per testamenta relinquentibus, philosophantibus occasionem eius, quae in philosophica vita est, scholae et quietis. Haec ille. Ex his patet, quod habitatio sua erat modica, et pestilens, et tempestuosa, et aliis philosophantibus relicta: modice ergo fuit ab eo dilecta.

Comment [c148]: Pg.165

## CAP. VII.

### *De domatione suarum passionum, et vitiorum.*

10 Item domatione passionum interiorum, et reductione earundem sub legem rationis fuit moderatus, prout narrat Seneca lib. 3. de ira cap. 21. vbi ait, quod maximum remedium irae est dilatio, vt primus feruor eius languescat, et caligo, quae mentem premit, aut resideat, aut minus densa sit. Quaedam enim ex his, quae te praecipitem ferebant, hora, non tantum dies, molliet. Quaedam ex toto euanescent. Si in hoc erit petita aduocatio, apparebit, iam iudicium esse non iram. Quidquid voles, quale fit, scire, tempori trade, nihil diligenter in fluctu cernitur. Et sequitur. Non potuit impetrare Plato a se tempus, quando seruo suo irasceret; sed ponere illum statim tunicam, et praebere scapulas verberibus iussit, sua manu ipse percussurus. Postquam intellexit se irasci, sicut sustulerat manum, suspensam detinebat, et stabat percussuro similis. Interrogatus ab amico, qui forte interuenerat, quid ageret? exigo, inquit, poenas ab homine iracundo. Velut stupens gestum illum saeuitori, deformem sapienti viro, seruabat, oblitus iam serui, quia alium, quem potuit castigare, inuenerat. Itaque abstulit sibi in suos potestatem, et ob peccatum quoddam commotior: tu inquit, Speusyppe, seruulum istum verberibus obiurga, nam ego irascor, ob hoc non caecidi, propter quod alius caecidisset. Irascor, inquit, plus faciam, quam oportet, libentius faciam, non sit seruus iste in eius potestate, qui in sua non est. Haec ille. Patet ergo ex praedictis, qualiter suis dominabatur passionibus, et qualiter maluit se ipsum castigare, quam alium: et quomodo alii commisit castigationis modum, vt iustitiam seruaret.

Comment [c149]: Pg.166

Comment [c150]: Pg.167

## CAP. VIII.

### *De maturitate eius in exteriori conuersatione.*

11 Item de maturitate exterioris conuersationis, et gestus, fuit modestus, et tali modestia **praebebat** exempla virtuosa discipulis suis. Vnde ait Seneca lib. 2. de ira cap. 12. quod praeceptores, pedagogosque placidos pueris conuenit dari. Proximis applicatur omne, quod tenerum est, et in eorum similitudinem crescit. Nutricum et pedagogorum retulere mox in adolescentiam mores. Apud Platonem puer educatus, cum ad parentes relatus, vociferantem videret patrem, nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. Non dubito quin potius imitatus esset Patrem, quam Platonem, scilicet, si fuisset apud eum educatus. Ex hoc et Doctoris matura honestas, et educationis apud talem patet vtilitas.

Comment [c151]: Pg.168

## CAP. IX.

### *De sua gratitudine pro beneficiis.*

12 Item fuit praedictus philosophus beneficiis gratus, et in educatione discretus, prout ait Seneca de benef. lib. 6. cap. 18. Plato, **inquit**, cum flumen transisset nauis, nec ab illo portitor quicquam exigeret, honori suo hoc datum credens, duxit positum illi esse apud Platonem officium. Deinde paulo post, alium atque alium cum gratis eadem transueheret sedulitate, negauit illi iam apud Platonem positum officium: nam, vt tibi debeam, inquit, aliquid pro eo, quod praestas, debes non tantum mihi praestare, sed tanquam mihi. Non potes ob id quicquam appellare, quod spargis in populum. Quid ergo? nihil tibi debebitur, tanquam ab vno? nihil, cum omnibus soluam quod tibi cum omnibus debeo? Ex hoc patet sua gratitudo pro beneficio singulariter sibi dato, et suae iustitiae rectitudo pro beneficio communiter exhibito.

Comment [c152]: Pg.169

## CAP. X.

### *De veritate sua in dicendo.*

13 Quam veridicus fuit in doctrina (sicut potest esse **vera** doctrina absque lumine fidei) et quam propinquus fuit in docendo veritati Sacrae Scripturae, ob quod praefert eum, et suos sequaces August. aliis philosophis, patet ex eodem Aug. 8. de ciuit. c. 8. qui postquam multa praemisit de ipso Platone, ait: Non satis sit commemorare, Platonem determinasse, finem hominis esse secundum virtutem viuere, et ei soli euenire posse, qui notitiam Dei habeat, et imitationem, nec esse ob aliam causam beatum; ideoque non dubitat, hoc esse philosophari amare Deum. Ipsum autem verum ac summum bonum Plato dicit esse Deum, vt dictum est supra. Et propterea cap. XI. recitatis egregiis dictis et Platoniorum, et Platonis subdit: Nunc apparet non immerito me Platonicos philosophos elegisse, cum quibus agam in quaestione, de qua agitur, et ideo hos potissimum elegi, quoniam de vno Deo, qui fecit coelum, et terram, quanto melius senseruut, tanto **gloriosiores** caeteris, et **illustriores** habentur. Et addit. Mirantur quidam, cum audiunt, vel legunt, Platonem de Deo id sensisse, quod multum congruere veritati nostrae religionis agnoscunt.

Comment [c153]: Pg.170

Comment [c154]: Pg.171

## CAP. XI.

### *De tempore quo Plato vixit.*

14 Vnde et nonnulli putauerunt eum, quando perrexit in Aegyptum, audisse Ieremiam Prophetam, vel scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse; quorum opiniones in quibusdam libris posuit. Sed diligenter supputata temporum ratio, quae chronica historia continetur, Platonem indicat a tempore, quo prophetauit Ieremias, centum ferme annos postea natum fuisse. Qui cum annos octoginta et vnum vixisset, ab anno mortis vsque ad id tempus, quo Ptolomaeus Rex Aegypti Scripturas propheticas per septuaginta viros Hebraeos interpretandas, habendasque curauit, anni reperiuntur sexaginta. Quapropter in illa peregrinatione sua Plato nec Ieremiam videre potuit, tanto antea defunctum, nec easdem Scripturas legere, quae nec dum fuerant in Graecam linguam translatae, qua ille pollebat, nisi forte, quia fuit acerrimi ingenii et studii, sicut Aegyptias, ita et istas per interpretationem didicit, non vt scribendo transferret, sicut Ptolomaeus curauit, sed vt colloquendo, quidquid continerent, quantum capere posset, addiceret. Haec Augustinus. Et hoc existimatur propter similitudinem verborum, et concordantiam, quam posuit Plato in principio Tymaei, quem librum de constitutione mundi conscripsit cum verbis illis in principio Genesis. *In principio creauit Deus caelum et terram*, prout ibi explanat Augustinus.

Comment [c155]: Pg.172

## CAP. XII.

### *De veritate Euangelica, contenta in libris suis.*

15 Idem August. lib. 7. confess. cap. 9. ait, se legisse in libris Platonicis principium Euangelii Ioannis *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum etc.* et alia plaeraque Euangelica; illud tamen non legit. *Et Verbum caro factum est, et habitauit in nobis*, vt ibi recitat. Vt tamen dicitur in Policrato lib. 7. vbi supra, nisi, inquit, in Patrum scriptis legeretur, nunquam alicui infidelium concessum crederem, vt os in tantae lucis oraculum aperiret, quem oculus mundanus non sufficit intueri, et quod B. Ioannes Euangelista altius coelo intonuit, quam humana mens percipere valeat. Apostolicum tamen, et familiaritatis intimae priuilegium extitit, quod verbum fidei boni operis perseuerantia illustrauit, cum Philosophi euanuerint, non tantum in cogitationibus, sed in operibus suis. Haec ille.

Comment [c157]: Pg.174

## CAP. XIII.

### *De elegantibus dictis suis, et eloquentia.*

16 De veritate vero dictorum in libris suis patet eis, qui scrutati sunt illos, quorum aliqua egregia recitat August. 8. de Ciuit. vbi supra, et in aliis libris suis. Vnde in Policrato vbi supra; scripsit libros plurimos et politici hominis merita contemplatio minime repressit, et contemplationis acumen necessitas non extinxit. In laudem eius Origenes, Hieronymus, Augustinus, omnium philosophorum attestationibus freti, sufficiunt. Quae tamen moralia dicta sua, et praedicabilia subscribuntur. Vt enim ait Tull. de offic. lib. 1. cap. 6. praeclare scriptum est



a Platone, non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici, atque vt placet Stoicis, quae in terris gignuntur, ad vsum hominis omnia dari, homines autem hominum causa generatos, vt ipsi inter se alii aliis prodesse possint. Haec ibi. et cap. 25. Qui reipublicae profuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant. Vnum, vt vtilitatem sic tueantur ciuium, vt quaecunque agant, ad eam referant, obliiti commodorum suorum. Alterum vt totum corpus reipublicae curent, ne dum aliquam partem tueantur, aliam deserant. Idem Tull. de senect. c. 5. Diuinus autem Plato voluptatem malorum escam appellat, quia ea videlicet homines capiuntur, vt hamo pisces. Vnde et primo Saturnalium dicitur, quod Socrates solitus erat suadere illos cibos potusue vitandos, qui vltra sitim, famemue sedandam producunt appetentiam. Ex dicto vero egregio illius Boetius 1. de consol. cap. 4. ait. Secundum Platonem respublica foelix esse incipit, si eam vel studiosi sapientiae rexerint, vel eius rectores sapientiae studere incipiant.

Comment [c158]: Pg.175

17 De multis vero dictis suis habetur in libro, qui intitulatur *Sudae*, vbi dicitur, Ait Plato lib. de Phaedone, siue de Anima: Quoniam libera est anima, et domina passionum. Vincere autem seipsum, omnium victoriarum prima et optima; vinci vero seipsum a seipso, turpissimum, et pessimum. Scimus enim, quoniam passiones in nobis sunt velut nerui, et quidam funes existentes, vt auellant nos, et ad inuicem trahant: contrarii autem existentes in contrarias actiones debemus esse; quasi diceret, contrariare debemus passionibus reluctantibus. Idem dialog. 2. de Republ. Bonus quidem Deus causa bonorum, malorum non causa. Ibidem Dial. 4. De legibus. Deus, vtique principium et finem omnium habens, delinquentibus in diuinam legem adest vltor punitius; qui vero Dei adhaeret iudicio, foelix futurus est, illudque humilis subsequitur atque compositus. Idem ait in Phaedone. Imperfectus quidem, et immundus in infernum abiens; perfectus, et purgatus hinc transiens cum Deo habitabit. Ibidem dicitur, quod Plato vadens in Aegyptum, et multa eorum quae illic inuenit, prophetarum, et sacerdotum immiscens suis sermonibus, quemadmodum pictor vmbrae depictis supponens colores, nequaquam Magice agere visus est; quamplurimam autem ab hominibus inuidiam passus est in sapientia.

Comment [c159]: Pg.176

18 Scripsit Plato duodecim libros de legibus, in quibus multa praeclara sunt, vt ait Agell. lib.14. c. 3. de quo ait idem lib. 18. cap. 2. quod Plato inciuilitatem quandam in libris suis posuit. Mulieres (inquit) esse communes censuit, et praemia viris fortibus, summisque bellatoribus suauitates puerorum, et puellarum. Haec ille. Mirum tamen quod censuit, mulieres esse communes, qui prius ait, voluptatem escam esse malorum, et qui censuit poetas esse pellendos a ciuitate, prout ait August. 2. de ciuit. cap. 13. An non forte Graeco Platoni palma danda est, qui cum ratione doceret, qualis esse ciuitas debeat tanquam aduersarios ciuitatis, poetas vrbe censuit esse pellendos? Idem habet Aug. 8. de ciuit. c. 14. Qualis vero eloquentiae fuerit, narrat Agell. lib.2. c. 5. Sed si, inquit, de Platonis oratione aliquod verbum demas, mutesue, atque id commodissime facias, de elegancia tantum detraxeris, necesse est. Qualiter autem derisor fuit pomparum superbarum, recitatur in tractatu de dictis philosophorum, vbi dicitur, cum videret Dyonisium tyrannum circumseptum custodibus, dixisse: Cur tantum mali fecisti, vt a tam multis custodiaris?

Comment [c160]: Pg.177

Comment [c161]: Pg.178

#### CAP. XIV.

Comment [c162]: Pg.179

#### *De auiditate sua ad habendos libros aliorum.*

19 Et licet esset tanta sapientia praeditus, de habendo tamen libros alienos fuit curiosus; sicut recitat Agell. lib. 3. c. 17. Memoriae mandatum est, Platonem tenui admodum

familiari pecunia fuisse, tres autem Philolai Pithagorici libros decem millibus denariorum mercatum fuisse. Id ei pretium donasse quidam scripserunt amicum eius Dionem Syracusanum. Et sequitur ibi, quod Timon amarulentus librum maledicentissimum conscripsit, qui *Sillos* inscribitur. In eo autem libro Platonem, quod tenui admodum pecunia familiari fuisset, contumeliose appellat, quod immenso pretio librum Pythagoricae disciplinae emisset ex eoque Tymaeun nobilem illum Dialogum continuasset. Versus super ea re Timonis hi sunt.

*Tuque Plato, nam discipulum te dira cupido  
Abstulit, exiguum redimis grandi aere libellum,  
Scribere per quem orsus praedoctus abinde fuisti.*

Comment [c163]: Pg.180

Et quamvis esset sic sapiens, minime tamen praesumptuosus; vnde Valer. lib. 8. c. 13. loquens de Platone, ait: eruditissimum eius pectus ea cogitatio subiit, suae scilicet artis quemque esse optimum iudicem, et proinde conductores sacrae arae, de materia, et forma illius secum sermone conferre conatos, ad Euclidem Geometram ire iussit, scientiae eius cedens, imo professioni.

## CAP. XV.

### *De salubri eius consilio, siue documento in morte.*

20 De consilio suo doctrinali, quod dedit moriturus discipulis, Isaac in tractatu de elementis: Respondeo, inquit, affert, quod non afferunt libri, et ponit exemplum de Platone. Cum enim appropinquasset obitus eius, vocavit discipulos suos, vt ostenderet eis sapientiam. Cum vero venissent, dixit eis. Remanserat apud nos, quod non exarauistis: Existimo proinde quod non cognouistis. At illi rogauerunt, vt doceret eos illud. Quibus ille. Venite post tres dies; tamen ad me non redeatis, nisi licentiam redeundi impetraueritis: et sic fecerunt. Et cum redirent, et nuntius diceret ei: discipuli rogant te, vt intrent, conuertit faciem suam ad parietem, non dedit eis responsum, et sic etiam secunda vice. Tertia vero cum indignatione dixit, et facie tristi significante iram: intrent. Reuersus nuntius, dixit eis quod fecerat. Illi autem contristati intrauerunt; et cum intrassent, assedit Plato, et placido vultu, et blando respexit eos, et gauisus est cum eis, et interrogauit eos de propositione eorum. Placuit ergo eis, quod apparuit in eo, et conuersi ad nuntium increpauerunt eum, vituperantes factum eius; et dixit Plato. Quid habetis, et reprehenditis nuntium? Dixerunt ei, quando venit ad nos, terruit nos, et nuntiauit aduersum ab eo, quod vidimus a patre nostro. Dixit eis, non eum reprehendatis, quoniam non narrauit, nisi quod vidit, et hoc est, quod dixi vobis de sapientia. Totus enim sermo ab vno loco egreditur, sed ipsius formae diuersificantur secundum diuersitatem formalem ipsius; inter sermonem, qui egreditur leniter, subtiliter, vel suauiter a magistro dicente, vultu placido, et ridente, et inter ipsum, qui egreditur cum ira, et tristi vultu, differentia longa existit, et propter hoc audire a magistro magis applicat intentionibus rem, et veritatibus intellectum, quam consideratio in libris; liber enim non affert rem, nisi cum forma vna, et respondendum est ex parte vna. Magister affert plures formas, et ex partibus diuersis respondet. Haec ille. Per hoc enim voluit Plato imprimere discipulis suis, quod plus confert audire docentem, quam studere in libris: et vehementior fit impressio ex visu Doctoris, et auditu, quam ex studio in libro; et concordat cum dicto Hieronymi ad Paulinum ep. 386. Habet nescio quid latentis energiae viuae vocis actus, et in aures discipuli de auctoris ore, vox transfusa fortius sonat.

Comment [c164]: Pg.181

Comment [c165]: Pg.182

Comment [c166]: Pg.183

## CAP. XVI.

### *De morte Platonis.*

21 De morte vero ipsius diuersi diuersa scripserunt, vt dicitur in Policrato lib.7. vbi supra; sed probabilius est, vt dicitur ibi, eum, qui innocenter vixerat, et philosophiae praecepta pro viribus insecutus erat, vitam risui non cessisse. Nam quod de eo nonnulli tradunt, quod verecundia motus, emisit spiritum, eo quod nautarum **propositam** non potuit soluere quaestionem, constat nominis errore compositum. Quidquid enim de eo Graecorum, loquantur fabulae, hoc de Homero, non de Platone Valer. refert, lib. 9. c. 12. Ex eo enim, et hoc vulgatum est, quia fuerunt, qui Homerum aequiuocum Platonis dicerent, propter excellentiam sapientiae, sermonis elegantiam, et pectoris latitudinem; nam viros nobiles certum est polyonymos extitisse. Haec ille.

Comment [c167]: Pg.184

22 De morte vero Homeri Valerius ibidem inquit: Non vulgaris Homeri mortis causa fertur, qui in quadam insula, quia quaestionem a piscatoribus propositam soluere non potuisset, dolore absumptus creditur. Quaestio autem nautarum, vt dicitur, talis fuit, et scribitur in tractatu, quem fecit Nazianzenus de hoc verbo Apostoli 1. Cor. 3. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Plato ibat spatiatum in littore maris coelum aspiciendo, quasi eleuatus consideratione; quem cum **viderene** nautae, ridentes deriserunt. Quotquot cepimus, non habemus, et quoquot non cepimus, habemus. Panniculos enim expediculabant, pediculosque mactabant, et sic quod capiebant non habebant. Plato vero ad pisces dirigens cogitatum, cogitauit qualiter id potuit esse, et sic tamdiu cogitauit, quod non dormiuit, nec comedit, et mortuus est: et ex hoc infert praedictus sanctus, *Sapientiam huius mundi stultitiam esse apud Deum.* Hoc non assero, sed audiui a fide digno, qui fuit in Graecia, qui etiam asseruit illum tractatum apud Graecos communem, et vulgatum. De morte vero Platonis Policratus vbi supra ita habet. Decessit autem octoginta et vno annis expletis, in tanta reuerentia omnium, et integritate auctoritatis, vt diu dubitatum fuerit, Diis, an Semidiis potius esset aggregandus? Sed cum, aetate illa deficiente, merita virtutum eius, tanquam incredibilia quodammodo, ad antiquitatis **fabulas** vergerent, ipsum inter Semideos venerandum Labeo scribit, vt quiddam maius homine, minus Deo fuisse doceatur. Haec ille: et de hoc ipso Aug. 2. de ciuit. Dei, c. 14. ait. Hunc Platonem Labeo inter Semideos commorandum putauit.

Comment [c168]: Pg.185

Comment [c169]: Pg.186

## CAP. XVII.

### *De aetate Platonis.*

23 De hoc eodem Platone Seneca ep. 58. ait: Nam hoc te scire puto, Platoni diligentiae suae beneficio contigisse, quod natali suo decessit, et annum atque octogesimum impleuit, sine vlla deductione. Ideo Magis, qui forte Athenis erant, immolauerunt defuncto: dicentes, amplioris fuisse sortis, quam humanae, rati, quia consummasset perfectissimum numerum, quem nouem nouies multiplicata componunt. Non dubito, quin paratus esset paucos dies ex ista summa et sacrificium remittere. Haec ille. Et de occasu, **siue** de morte tanti luminaris dicitur in Policrato vbi supra c. 6. Sol e coelo visus est cecidisse, qua die Philosophorum princeps Plato rebus excessit humanis, et quasi lucernam mundi extinctam defleuerunt, qui ad thronum sapientiae, cui diu ille insederat, sua arbitrabantur studia perferenda. De eiusdem morte

Comment [c170]: Pg.187

Tull de Senect. cap. 2. Quid? vno et octogesimo anno scribens mortuus est. Quam nobilis ergo fuit iste philosophus in philosophia, quae eum nobilem fecit, vt habitum est supra a Seneca, et quam in multis imitandus est tam in dictis, quam in factis, patet consideranti praemissa.

## QVINTA DISTINCTIO.

Comment [c171]: Pg.188

De vita Aristotelis.

### CAP. I.

*De origine Aristotelis, et Parentibus eius.*

1 Licet Plato, philosophus nobilis, multos habuerit discipulos illustres, tamen cum Aristoteles eius discipulus, vir excellentissimi ingenii, in docendo officium suscepisset, quasi matutinum sydus fulsit hominibus, et quibusdam multiplicis philosophiae praeceptis, velut variis sapientiae radiis illustravit orbem, et tanquam oculorum detersa caligine ad contuendam veritatis speciem mentes hominum reparavit, prout dicitur in Policrato vbi supra. Sed antequam colligantur quae sunt dicta de eo in **diuersis** libris, subscribetur tractatus de vita sua, translatus de Graeco in Latinum, vt dicitur, et maxime, ex quo non adeo facile habetur a multis. Aristoteles quidem genere Macedo, patria vero Stagiritanus (Stagira autem ciuitas est Thraciae vicina Olintho, et Mothoni) filius fuit Nicomachi et Phaestiadis, ambobus a Macaone Aesculapii filio descendentibus, sicut hoc illius designat epigrama, *Phaestiade suit matre, et Nicomacho genitore, qui descenderunt ambo ab Aesculapio, insignis Aristoteles*. Nicomachus autem medicus fuit Amintae Regis Macedonum, patris Philippi. Ad patris memoriam Aristoteles filium suum Nicomachum appellavit, cui Ethicam inscripsit. Itaque habitus, qui fuit ei circa philosophiam, et medicinam, inditus est a patre et a propria generatione. Post mortem autem Nicomachi, et Phaestiadis parentum a quodam nomine Proxeno, qui publico Atarnensium nomine, **peregrinos** hospitio excipiebat, educatur, a quo famam, et nutrimentum accepit. Itaque in memoriam ipsius, filium Nicanorem educauit, et docuit, et tanquam filium habuit, eique sub mortem praecepit in testamento filiam suam, nomine Pythayden, tradi in vxorem.

Comment [c172]: Pg.189

Comment [c173]: Pg.190

### CAP. II.

*De illius aetate, quando fuit Athenas, et quando adhaesit Platoni.*

2 Adhuc inuenis existens ingenuas artes et eloquentiam professus est, vt declarant Homerica carmina ab eo scripta; et Pliadis dictamen, quod dedit Alexandro, et Dialogus de Poetis, et tractatus de Poetica, et Rhetorica. Factus autem septemdecim annorum, et Pithia praecipiente ipsum philosophari, mittitur Athenas, vbi adhaesit Socrati, et moratus est cum eo tribus annis. Mortuo autem Socrate adhaesit Platoni, et moratus est cum eo viginti annis **vsque ad** finem vitae ipsius Platonis, sicut ipse declarant in epistola ad Philippum. Tantam adeptus est dilectionem Platonis, et diligentiam, circa studium philosophiae, quod Plato domum Aristotelis domum lectoricam vocabat, et frequenter dicebat: Eamus ad domum lectoris, et ipso absente a lectione, clamabat: Intellectus abest, surdum est auditorium.

Comment [c174]: Pg.191

3 Vixit autem post mortem Platonis annis triginta quatuor, partim quidem docens Alexandrum Philippi filium, partim circumiens cum ipso terras multas, partim componens libros, partim vero docendis aliis insistens. Non est autem verum quod aedificauit. Liceum contra Platonem in viuis existentem, sicut Aristosenes accusauit, et Aristides postea consecutus est. Adhaesit etenim Platoni vsque ad finem vitae illius. Plato autem natus fuit Dictuno dominante Atheniensibus, et viuens annis vno et octoginta **secundum** Doctores, vt dictum est supra, vitam suam finiuit sub Theophilo. Aristoteles vero natus fuit sub Dicorfo, et viuens annis sexaginta tribus moritur in tempore Filodei. Adhaesit Aristoteles Platoni tempore Naufigeni, et fuerunt a Theophilo, sub quo moritur Plato, vsque ad Filodeum anni viginti tres, quibus Aristoteles superuixit Platoni. Non est enim verum, sicut quidam mentiuntur, quod quadraginta annis moratus est sub Platone tempore Odoxi. Aristotele enim sexaginta tribus annis viuente, tres anni restarent a morte Platonis, ablatis septemdecim, quibus studuit in trinio, et tribus, quibus studuit cum Socrate: et ablatis quadraginta, quibus studuit cum Platone, sicut ipsi aiunt. In tribus autem annis non solum fuerat impossibile tanta componere; sed etiam neque facile legendo tanta transcurrere, veluti Philoponus enarrauit. Et etiam non fuit Aristoteli extraneo possibile facere **contra** Platonem, qui erat ciuis, et valde potens propter Chabriam, et Tymotheum principantes Atheniensibus, et genere sibi cognatos.

Comment [c175]: Pg.192

Comment [c176]: Pg.193

### CAP. III.

#### *De honore Aristotelis apud Principes, et de illius profectu.*

4 Post mortem vero Platonis Speusippus quidam suscipit scholas suas. Fuit hic filius Portonis sororis Platonis. Aristoteles autem moratur in Macedonia, vbi docet Alexandrum Philippi filium. In tantum fuit honoratus a Philippe, et Olimpiade matre Alexandri, quod sibi construxerunt statuam, et in magna potestate fuit, consors regni ipsius, et multum laborauit pro Rege. Et cum benefacere magna pars esset philosophiae, ad beneficandum potentia, qua potiebatur, vsus est, beneficus et singulis peculiariter, et omnibus communiter. Et quod multis quidem singulariter benefecit, **declarant** missae ab eo epistolae ad Regem. Quod autem communiter benefecerit multis, demonstrat illud, quod ciuitatem suam Stageritam, prius a Philippo dirutam, induxit Alexandrum regem reaedificare, et regionem aliam ipsi tradi; propter quod et Stageritani festiuitatem celebrabant Aristotelis, *Aristoteliam* ipsam appellantes, et mensem, in quo ipsa festiuitas celebrabatur, *Stageriten* nominabant. Et etiam Eressum vrbem Theophrasti, et Theophanii discipulorum suorum, quam Alexander grauiter vendicare cogitabat, a destructione liberauit. Stageritani corpus Aristotelis, mortui in Calcide, reduxerunt in Stageritam, et altare construxerunt in monumentum, locum illum *Aristoteleum* appellantes, et illuc ad consilium congregabantur.

Comment [c177]: Pg.194

5 In multis autem Atheniensibus benefecit, vt declarant tractatus, qui sunt ad Philippum. Itaque Athenienses statuam illi erexerunt. **Vt** vero omnibus hominibus benefaceret, scribit Alexandro librum *de Regno*, docens qualiter debeat illud regere; et in tantum mouit animum Alexandri ad benefaciendum, quod dicebat: Si hodie nulli benefeci, non regnauit: similis aegrotanti modice morbo ephimerae, qui illa die operationes sanorum non facit. Alexandrum in intimos Brachmannos proficiscentem comitatus est, neque tunc a philosophando abstinuit; composuit etenim illic volumen ducentarum quinquaginta politiarum. Deinde Alexandrum vsque

Comment [c178]: Pg.195

in Persidem secutus est, vbi cum Alexander mortem obiisset, in patriam rediit: et Antipater suscipiens regnum Alexandri in honore illum habuit, non minus, quam Alexander.

#### CAP. IV.

Comment [c179]: Pg.196

##### *Qualiter, et propter quid contradixit Platoni in quibusdam?*

6 Speusippo autem nepote Platonis mortuo, suos discipulos suscipiunt Xenocrates, et Aristones sapientissimi, et Aristoteles quidem regebat in Liceo, Xenocrates in Academia, vbi et Plato studebat. Non enim, sicut aiunt Aristosenes, et Aristides, Platone viuente et docente in Academia, aedificauit contra eum Liceum: et hoc volunt quidam dicere propter id, quod in pluribus locis suorum librorum contradicit Platoni. Contra quos dico, quod non simpliciter contradicit Platoni; sed non intelligentibus ea, quae sunt Platonis: Si autem, et Platoni contradicit, non est inconueniens. In his enim, quae sunt Platonis, sapit. Platonis etenim est sermo, quod vnusquisque magis debet curare de veritate, quam de **quocumque** alio. Et alibi dicit: Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas. Et in alio loco: de Socrate parum est curandum, de veritate vero multum. Hoc igitur et Aristoteles fecit, et monumenta aliqua Platonis immutanda censuit, quamuis consona sibi fecerit, nolens despiciere veritatem.

Comment [c180]: Pg.197

6 Habuit autem magnam dilectionem erga Platonem, vt patet ex eo, quod aram ei consecrauerit, hac inscription. *Aram Aristoteles hanc consecrauit Platoni*. Hinc non videtur illud conuenire, quod se irreuerenter illi opposuerit. Forte autem neque secundum ea, quae apparent, oppugnat Platonem; sed secundum illos, qui male intelligunt ipsum; sicut in eo, quod dixerit, curuum esse coelum in libro, qui est de coelo: quidam enim extra intellectum ipsum posuerunt. Similiter alia impugnare videtur in libris de Anima, et de Metaphysica, aliisque operibus.

#### CAP. V.

Comment [c181]: Pg.198

##### *De moderantia Aristotelis in sentiendo.*

7 Fuit autem Aristoteles per quam moderatus in suis opinionibus. Vnde in praedicamentis ait: Non oportet prompte diffinire, sed quid secundum multos consideratur. Et dubitare de singulis non est inutile. In his, quae de bono sunt, oportet reminisci. Hominem existentem conuenit non solum esse bene fortunatum, sed etiam demonstrantem. Et in Ethicis Nicomachus amicus, qui vir? amica autem veritas, ambobus vero entibus amicis, sanctum est honorare veritatem. Et in Metheoris: Horum quidem, quae dubitamus, quaedam attingimus secundum aliquem modum. Et in eisdem: Non semel, nec bis, sed infinite easdem opiniones fieri hominibus. Quod non multum sapientia superbiamus, in **quibus** inuenire aliquid videmur. Et talis quidem secundum vitam fuit Aristoteles.

Comment [c182]: Pg.199

## CAP. VI.

### *De philosophia Aristotelis.*

8 Addidit autem philosophiae rationali plura, quae ab ipsa selegit. Ethicae quidem addidit, foelicitatem non in exterioribus bonis constare, sicut Poliens ait, neque in anima solum, sicut Plato dicebat; sed habere quidem formam in anima. Coinquinari autem et contristari solum ipsam ab exterioribus, non bene se habentibus, proprie de omnibus vtentem: etenim quae coinquinantur interius, ipsa pulchritudinem habent, occultantur autem secundum solam superficiem, et contristata eadem magnitudinem suam seruant secundum veritatem.

9 Philosophiae vero addidit quintam essentiam; Mathematicae Exigonium esse communissimum, propter quod in plus excedit visus, cuius inspicit magnitudinem, et secundum hoc nihil eorum, quae nunc sunt, simul totum videtur: et sic maiorem fieri axe basem, quae ex hoc est, et Exigonium conum perficere.

Comment [c183]: Pg.200

10 Theologiae vero, quamuis nihil addiderit, tamen nihil de ea diminute determinauit. Non solum mundana vidit, sicut quidam putant, sed ea quae sunt supra mundum, sicut declarat in 8. de Physico auditu: dicens, quod prima causa non per se mouet, neque per accidens; ex hoc determinans, quod diuinum neque corpus est, neque passibile.

11 Composuit autem medicinalia problemata, et phisica, in octoginta libris existentia, et circularia problemata, et Metaphisica, et scriptas ab eo iustificationes Graecarum ciuitatum, cum quibus Philippus lites determinabat. Scripta est insuper ab eo historia Policiarum. Posterius vero in philosophia transcendit humanam mensuram, nihil diminute tradens, et tractans de ea; sed, multa ipsi adiciens, ex sua solertia totam direxit philosophiam.

Comment [c184]: Pg.201

12 Logicae etiam apposuit, distinguens regulas a rebus, faciens eam determinatiuam scientiam. Antiqui enim demonstrare quidem sciebant, demonstrationem vero facere nesciebant, idem patientes cum coriariis, potentibus quidem vti calceis, non potentibus autem rationem assignare. Insurgentibus autem in ipsum Atheniensibus, iuit Calcidiam: dicens, non concedam Atheniensibus bis peccare in philosophiam: et mittens Antipatro scripsit, Atheniensibus commorari periculum ess; adiungens illud Homeri: pirum namque supra pirum senescit, et ficus supra ficum; accusatorum successionem aenigmatice insinuans.

## CAP. VII.

Comment [c185]: Pg.202

### *De aetate Aristotelis.*

13 Vixit Aristoteles annis sexaginta tribus. Agens annum decimum quintum haesit Socrati, et cum eo stetit tribus annis. Adhaesit autem Platoni viginti annis, post cuius mortem vixit annis viginti tribus. Totum itaque tempus vitae suae numeratum fuit annorum sexaginta trium, et mortuus est in Calcide, relinquens testamentum scriptum, quod fertur ab Andronico, et Ptolomaeo cum voluminibus suorum tractatum. Filium reliquit Nicomachum, et filiam Pythaydam, discipulos Theophrastum, et Theophanium, Cudimunditum, Aristosenum, et Dytheatum. Tractatus numero mille composuit. Multum valuit cum Regibus, qui fuerunt tempore suo, Philippo, Alexandro, Olimpiade, et Antipatro, potenter vsus organo philosophiae. De insigni hoc philosopho August 8. de ciuit. cap. XI. ita habet. Aristoteles Platonis discipulus, vir excellentis ingenii, eloquio Platonico quidem impar, sed multos facile superans, cum sectam

Comment [c186]: Pg.203



Peripateticam condidisset, eo quod deambulans disputare consueuerat: plurimos discipulos, praeclara fama excellentes, viuo adhuc praeceptore, in suam haeresim congregauit. Cuius vero aetatis fuerit, quando incepit audire Platonem, narrat Magister in historia super Esther ad finem capitis primi, dicens, quod annum agebat decimum octauum.

## CAP. VIII.

### *De ingenio Aristotelis.*

14 Qualis ingenii fuerit Aristoteles refert Tull. I. de diuinat. cap. 12. dicens, quod fuit vir singulari ingenio, et pene diuino. Et in prolog. Tusc. quaest. quod fuit vir summo ingenio, et scientiae copia. Qualis autem studii fuit, patet ex libris ab eo editis, et ex eorumdem artificiosa subtilitate. De assiduo autem illius studio ita dicitur in principio libri Alexandridae.

Comment [c187]: Pg.204

*Fronto macer, pallens incompto crine magister,  
Nec facies studio male respondebat; apertis  
Exierat thalamis, vbi nuper corpore toto  
Perfecto pugiles Logices armarat elenchos.  
O quam difficile est, studium non prodere vultu.  
Liuida nocturnam sapiebant ora lucernam,  
Seque macerabat tenui discrimine pellis,  
Ossibus, in vultu, partesque effusa per omnes,  
Articulos manuum macies ieiunae premebat.*

Haec ille. Ex quibus omnibus patet, quod fuit temperantia moderatus, et maceratione voluptatum erga se austerus. Vnde, vt ait Valerius lib. 7. cap. 2 praeceptum Aristotelis fuit, vt voluptates abeuntes consideremus, quas quidem sic ostendendo minuit: fessas enim, poenitentiaeque plenas animis nostris subiecit, quo minus cupide repetantur.

Comment [c188]: Pg.205

## CAP. IX.

### *De eminentia scientiae Aristotelis.*

15 Qualis ille fuerit philosophus testantur Auicenna lib. 3. suae Metaphisicae cap. 5. Fuit, inquit, egregius philosophus: et Rabbi Moyses lib. 1. c. 4. quod fuit Princeps philosophorum: et Policratus lib. 7. cap. 6. quod tractauit omnes philosophiae partes, et praecepta dedit in singulas. Sed prae caeteris sic Rationalem redegit in ius suum, vt a possessione illius videatur omnes alios exclusisse. Ita tamen in aliis viguit, vt commune nomen omnium philosophorum Antonomastice, id est, excellenter, sibi proprium esse meruerit. Fuit autem facundus eloquio, sed vberior sensibus, et doctus omnium sententiis obuiare. Et sequitur ibidem. Fuerunt, qui eum incubi daemonis filium crederent propter agilitatem corporis, perspicacitatem ingenii, et gloriae appetitum, quam multiplici industria omnibus praeripere consueuerat. Haec ille. Vnde et quidam Sapiens in suo tractatu ait, quod Aristoteles se gloriabatur habere spiritum familiarem.

Comment [c189]: Pg.206

## CAP. X.

### *De industria Aristotelis in docendo.*

16 Fuit in docendo industrius, et peritus; docebat enim discipulos pro sua capacitate, et diuersa in diuersis temporibus, prout ait Agell. lib. 20. c. 4. quod commentationum, quas tradidit Aristoteles, duae erant species: *Exoticae* dicebantur illae, quae ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, ciuiliumque rerum notitiam conducebant: *Acromaticae* vero illae, in quibus philosophia eminentior, subtiliorque agitabatur, quaeque ad naturae contemplationes disceptationesue Dialecticas pertinebant: Huic disciplinae Acromaticae exercendae tempus dabat in Liceo matutinum; neque ad eam quemque temere admittebat, nisi quorum antea ingenium, et eruditionis elementa, atque in discendo studium, laboremque explorasset. Illas vero Exoticas auditiones, exercitiumque discendi, in eodem loco vesperi faciebat, easque vulgo inuenibus sine delectu praebebat. Vtroque tempore ambulans disserebat, librosque suos earum omnium commentarios seorsim diuisit, vt alii dicerentur Exoterici, partim Acromatici. Haec ibi. Vnde Policratus vbi supra. Hic est, qui primus studiorum genera in Acromaticum, et Exotericum dicitur distinxisse: Nam familiares, et quasi domestici admittebantur in Acromatica; Exoterica vero non modo extraneis, sed hospitibus patebant, et peregrinis. Artificiose ergo docebat, et ordinate.

Comment [c190]: Pg.207

Comment [c191]: Pg.208

17 Quam vero efficax fuerit in docendo, dicitur in Policrato ibidem: Hic est, inquit, cuius disputationibus effectum est, vt Academia moueatur magis rationum, quam collisione verborum: licet enim Peripateticus, non Academicus censeatur, eo tamen sollicitante, de singulis maxime coeperunt Platonici, qui relictis erant, fere de omnibus dubitare.

## CAP. XI.

### *De studio suo ad cognoscendas naturas animalium.*

18 Quam studiosus et laboriosus fuerit ad cognoscendas naturas rerum, narrat Plin. lib. 8. c. 16. dicens quod Alexander magnus inflammatus cupidine naturas animalium sciendi, Aristoteli, summo in omni doctrina viro, delegata hac commentatione, aliquot millia hominum in totius Asiae, Graeciaeque tractu parere iussit, omnium quod venatus, aucupia, piscatusque alebant, quibusque viuaria, armenta, aluearia, piscinae; auaria in cura erant, ne quid vsquam gentium ignoraretur ab eo, quos percontando quinquaginta fere volumina illa praeclara de animalibus condidit.

Comment [c192]: Pg.209

## CAP. XII.

### *De subtilitate librorum Aristoteles.*

19 Quam subtiliter, et quam profunde multa sub breuitate comprehendendo, libros diuiserit, patet ex Agellio vbi supra. Cum, inquit, libros ab eo editos, et in vulgus publicatos Rex Alexander cognouisset, atque ab ea tempestate armis, exercituque omnem prope Asiam teneret, regemque ipsum Darium praeliis, et victoriis vrgeret, in illis tamen tantis negotiis litteras ad

Comment [c193]: Pg.210

Aristotelem misit, non illum recte fecisse, quod disciplinas Acraomaticas, quibus ab eo ipse eruditus foret, libris foras editis inuulgasset; nam, qua alia re, inquit, praestare caeteris poterimus, si ea, quae ex te accepimus, omnium prorsus fient communia? Ego quippe doctrina anteire malim, quam copiis, atque opulentiis. Rescripsit Aristoteles Alexandro: Acraomaticos libros, quos editos quereris, et non perinde, vt arcana asconditos, neque editos scito esse, neque non editos: quoniam iis solis, qui nos audiunt cognoscibiles erunt, iis scilicet, qui poterunt ex breuibus multa comprehendere.

20 Quod autem libros ediderit sub tanta breuitate, et difficultate, aliqui adscripserunt inani gloriae, et inuidiae, sicut recitat Alexand. Nequam lib. 1. de naturis rerum. **Certum** est, inquit, quod dictus philosophus sic scripsit victori Pelleo, id est, Alexandro, mundum subiuganti, et impatienter ferenti, quod ipse Dialecticam elaborasset: Ita edidi, ac si non edidissem. O ostentatio et inanis gloria, quae ipsum Dialecticam sic edere compulit? O inuidia, quae obscuritate breuitatis fere singula ita perstrinxit, vt vel modicum ipsius opus totum sibi vendicaret lectorem. Haec ille. Posset tamen dici, eum sic edidisse libros ad exercitium studentium, et hoc artis exigentia, quae est circa bonum, et difficile. Vnde ait Papias quod quando librum Perihermenias scriptitabat, calamum in mente tingeat; omnis enim locutio conceptae rei interpret est, sicque ille liber subtilissimus.

Comment [c194]: Pg.211

### CAP. XIII.

Comment [c195]: Pg.212

#### *De auiditate eius ad habendos libros alienos.*

21 Et licet fuerit tantus philosophus, et tam profundus, libros tamen aliorum non contempsit, imo care emit, prout ait Agell. lib. 3. cap. 17. Aristotelem traditum est libros pauculos Speusippi philosophi post mortem eius emisse talentis Atticis tribus; ea summa numeri nostri est sextertia duo septuaginta millia. De Aristotele Alex. Nequam de naturis rerum ait, quod primus Syllogismos distinxit, artificiosam medii termini inuentionem tradidit, Theoremata decem libri Euclidis inuenit, et primus colores Rhetoricos inuenit, et distinxit. Et cum in omni philosophia primatum teneret, solum tamen medicinam professus est. Idem audiens Xenocratem diligenter perorasse ait, Turpe est **Aristotelem** reticere, Xenocratem vero loqui permittere. Et alia ibi de dictis, et factis illius.

Comment [c196]: Pg.213

### CAP. XIV.

#### *De occultatione librorum Aristotelis.*

22 Quid vero factum fuit de multis libris suis, recitat Alex. Nequam vbi supra. Aristoteles, inquit, viam vniuersae carnis ingressurus, iussit, subtilissima sua scripta in sepulchro suo secum abscondi, ne vtilitati posteritatis suae deserirent. Sed nescio, qua vi naturae, aut artis potentia, ne dicam magicae artis prodigio, locum sepulchro suo vicinum circumquaque appropriauit, vt etiam nemo illum his diebus appropinquare, aut intrare possit. Ferunt etiam nonnulli dictum locum sciturum, et scripta ibidem reposita Antichristum inspecturum; afferent enim, vt aiunt, nuncii ipsius secreta Aristotelis in conspectum illius, qui idolum **abominationis**, et

Comment [c197]: Pg.214

desolationis erit. Sed incertis quis adhibere fidem audeat? Haec ille. Et sic recitando non asserendo praedicta dixit.

#### CAP. XV.

##### *De cupiditate gloriae Aristotelis.*

23 Illum autem fuisse audum laudis et gloriae refert Valer. lib. 8. c. 5. et sicut recitatur in Policrato vbi supra, non modo, inquit, subtilitate, qua cunctis celebris est, sed mira suavitate dicendi eualuit. Adeo quidem, vt merito Platoni proximus fuisse videatur. Eum laudis fuisse audissimum vel ex eo constat, quod cum Theodocti discipulo libros artis oratoriae, vt eos ederet, concessisset, moleste ferens tantum laudis et gloriae, et titulum alii cessisse, proprio volumine, quibusdam rebus insistens, planius sibi in Theodoctis libris dictum adiecit. Ex quo concludit Valerius, quod gloria ne ab iis quidem, qui contemptum eius conabantur introducere, negligitur, nam et voluminibus nomina sua adiiciunt, vt quod professione leuant, vsurpatione memoriae assequantur. Haec ille. Qualis autem fuerit in scribendo libros, et in docendo alios, patet ex scriptis suis; vnde ait Alexander Nequam vbi supra: Ingenium Aristotelis commendare superfluum est, quia solem iuuare facibus superfluum est, omnem enim partem philosophiae, scilicet rationalem, naturalem, et moralem edocuit, et scriptam tradidit. Aenigmata vero Aristotelis recitat Hieron. l. 3. contra Ruffinum, quae sunt haec.

Comment [c198]: Pg.215

#### CAP. XVI.

##### *De Aenigmatibus.*

24 Naturam ne transilias, id est, ne praetergrediaris iustitiam. Ignem gladio ne foueas, id est iratum et tumidum animum verbis maledicis ne lacesas. Coronam minime carpendam, id est leges vrbium conseruandas. Cor ne comedendum, id est moerorem de animo proiciendum. Cum profectus fueris, ne redeas, id est, post mortem, vitam istam ne desideres. Per viam publicam ne ambules, id est, ne multorum sequaris errores. Hirundinem in domo non suscipiendam, id est, garrulos, et verbosos homines sub eodem tecto non habendos. Oneratis supponendum onus, deponentibus non communicandum, id est, ad virtutes incedentes augenda praecepta, tradentes se otio relinquendos. Haec ibi. Multa alia praeclara, et moralia verba scripsit, et dixit in libris, quos composuit ad morum compositionem, et correptionem. Sicut in libro, quem composuit de ebrietate, prout dicitur lib. 1. Saturnalium cap. 21. et in libro, quem composuit de matrimonio; de quo loquitur Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum cap. 30. cuius quaedam verba recitat, prout ibi. Valerius vero lib. 7. cap. 2. recitat suum dictum vtile: Aristoteles, inquit, de semetipso in neutram partem hominem loqui debere praedicabat: quoniam se laudare vani, vituperare se stulti esset.

Comment [c199]: Pg.216

25 Quam discretus fuerit in consulendo, idem Valer. ibidem. Aristoteles, inquit, Calisthenem ad Alexandrum mittens, monuit, vt cum eo aut quam rarissime, aut quam iucundissime loqueretur, quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. At ille, dum Alexandrum Macedonem Persica saluatione gaudentem obiurgat, et ad

Comment [c200]: Pg.217

Macedonicos mores inuitum reuocare beneuole perseuerat, spiritu carere iussus, seram neglecti salubris consilii poenitentiam egit. Haec ille.

26 Quam uero doctus fuit et discretus in docendo Alexandrum regem, patet maxime in primo lib. Alexandreidae, ubi recitantur salubria consilia, et egregia documenta, quale est illud

Comment [c201]: Pg.218

*Consulto seruos contemne bilingues,  
Et nequam, nec quos humiles natura iacere  
Praecipit, exaltare uelis, etc.*

Necnon et in epistola, quam misit ad Alexandrum, consilia dat ei salutaria, ubi inter caetera, ita ait. O Alexander, serua animam tuam nobilissimam, quae commendata est tibi, non ut dehonestetur, sed ut glorificetur. Et sic de aliis, quae ibi ponit.

#### CAP. XVII.

*Alexandrum liberat a puella nutrita ueneno.*

27 Et ex his patet, quam fidelis fuerit discipulo suo, quem docebat. Vnde ibidem narratur, quod fuit una puella Alexandro missa a Regina Indorum, quae fuit imbuta, et nutrita ueneno serpentum, ita tamen quod non fuit uersa in naturam serpentum, et configebat uisus in facies hominum, et interficiebat solo visu, et nisi Aristoteles praemonuisset, mors Alexandri fuisset subsequuta in ardore coitus cum illa. Quam uero pius et sollicitus fuit erga rempublicam, patet ex libris, quos condidit de politica, ad reipublicae gubernationem, et ad singularem illustrationem qualiter deberent uiuere in republica.

Comment [c202]: Pg.219

#### CAP. XVIII.

*De illius sollicitudine pro Republica.*

28 Quod fuit sollicitus pro saluatione Reipublicae narrat Valer. l. 5. c. 6. Aristoteles, inquit, supremae uitae reliquias senilibus, ac rugosis membris in summo litterarum otio uix custodiens, adeo ualenter pro salute patriae incubuit, ut eam a hostilibus armis solo aequatam, in lectulo Athenis iacens quidem, Macedonum manibus, quibus adiecta erat, eriperet. Ita urbe strata, atque euersa, Alexandrique familiaritate, qua restituta est, Aristotelis notum est opus. Sollicitus ergo fuit pro republica, et pro eiusdem liberatione. Pius etiam fuit, compatiendo indigentibus. In tractatu enim de dictis philosophorum dicitur, ipsum dixisse, quod habet hoc paupertas incommodi, quod non potest iuuare alios; ubi pius illius affectus erga indigentes uidetur.

Comment [c203]: Pg.220

## CAP. XIX.

### *De discretione in iudicando, et eligendo sibi successorem.*

29 In iudicando fuit prudens, et discretus, prout narrat Agell. lib. 13. cap. 5. Aristoteles, inquit, philosophus annos iam fere natus duo et sexaginta corpore aegro, affectoque, ac spe, vitaeque tenui fuit. Tunc omnis eius sectatorum cohors accedit orantes, obsecrantesque, vt ipse deligeret loci sui et magisterii successorem, quo **post** summum eius diem, perinde vt ipso, vterentur ad studia doctrinarum complenda, excolendaque, quibus ab eo imbuti fuissent. Erant tunc in eius ludo multi boni, sed praecipui duo Theophrastus, et Menedemus, ingenio, atque doctrinis caeteros praestabant, alter ex insula Lesbo fuit, Menedemus autem Rhodo. Aristoteles respondit facturum esse quod vellent, cum id sibi foret tempestiuum. Postea breui tempore cum iidem illi, qui de magistro destinando petierant, praesentes essent, vinum, ait, quod tum biberet, non esse id ex valetudine sua, sed insalubre atque asperum, ac propterea Exoticum quaeri debere, vel Rhodium aliquod, vel Lesbium. Id sibi vtrumque vt curarent, petiuit, vsurumque eo dixit, quod sese magis iuisset. Eunt, curant, inueniunt, adferunt. Tum Aristoteles Rhodium petit, degustat, firmum, inquit, hercle vinum et iucundum. Petiit mos Lesbium, quo item **degustato**, vtrumque, inquit, oppido bonum sed ἡδίωτό ὁ λέβιγος. Id vbi dixit, nemini fuit dubium, quin lepide simul et verecunde successorem illa voce sibi non vinum delegisset. Is erat e Lesbo Theophrastus, homo suauitate insigni linguae pariter atque vitae. Itaque non diu post, Aristotele vita defuncto, ad Theophrastum omnes concesserunt. Haec ille.

Comment [c204]: Pg.221

Comment [c205]: Pg.222

30 Curiali quidem modo et discreto suum successorem elegit, nec mirum si fuit discretus in hominibus iudicandis, vnum alteri praeferendo, qui fuit etiam discretus in iudicando in homine eodem, quid magis praeferendum, et quid cotemnendum, prout recitat Boet. lib. 3. de consolat. prosa 8. vbi dicitur, quod si (vt Aristoteles ait) oculis Lynceis homines vterentur, vt eorum visus obstantia quaeque penetraret, nonne introspectis visceribus illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus turpissimum videretur? Igitur te pulchrum **videri** non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Haec ibi.

Comment [c206]: Pg.223

31 Quo autem docente, fuit ita discretus, recitatur in libro de Speculo, vbi dicitur, quod sciscitante Alexandro, quo docente se profiteretur scientem, rebus, inquit, quae non nouerunt mentiri. Ibidem recitantur aliquae sententiae suae, quarum vna: numquam verecundiores esse debemus, quam quando cum Diis agitur. Et ibidem: viri boni est, nunquam facere iniuriam. Item: iniuria irrogata iniuste, eius est infamia, qui facit. Item: aduersus inimicos inter parietes nostros victoria est quaerenda. Admiranda ergo, et laudanda claritas, et bonitas lucis aeternae, quae ita irradiauit, et reuelauit tot radios veritatum, et lumina per praedictos philosophos tenebrose infidelitatis; *Deus enim illis reuelauit*. Rom. 1.

## CAP. XX.

Comment [c207]: Pg.224

### *De illius Morte.*

32 De morte vero Aristotelis scribitur in tractatu Gregorii Nazianzeni, de quo supra dictum est, quod cum in Graecia apud Nigrum pontem sit fluxus maris, et refluxus, quasi simul in eodem loco, Aristoteles volens inuestigare causam, venit videre, et diu considerans, cum non posset inuenire causam sufficientem, vt sibi videretur, ex indignatione alloquens aquam, ait. Quia

non possum capere te, tu capias me: et sic se praecipitavit, et submersit. Ex hoc concludit praedictus sanctus, quod *Sapientia mundi stultitia sit apud Deum*, vt dicit Apost. 1. Cor. 3. Hoc autem non dico asserendo, sed recitando audita a fide digno, qui fuit in Graecia conuersatus, asseruitque, praedictum tractatum communiter ibi esse vulgatum; et hoc potuit esse, quia licet Deus reuelauerit philosophis multas veritates de rebus causatis, tumore tamen superbiae euanuerunt in cogitationibus suis. Haec de Aristotele ad praesens dicta sufficiant.

Comment [c208]: Pg.225

## CAP. XXI.

### *De Apuleio, et eius sententiis.*

33 De aliis vero philosophis discipulis Platonis, et qui successerunt in Schola sua August. 8. De ciuit. Dei. c.12. Cum post mortem, inquit, Platonis Speusippus sororis eius filius, et Xenocrates dilectus eius discipulus, in schola eius, quae *Academia* vocabatur, eidem successissent, atque ab hoc, et ipsi, et eorum successores *Academici* vocarentur; recentiores tamen philosophi nobilissimi, quibus Plato sectandus placuit, noluerunt se dici Peripateticos, aut Academicos, sed Platonicos, ex quibus valde sunt nobilitati Graeci, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius. In vtraque autem lingua, scilicet Graeca, et Latina Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis.

Comment [c209]: Pg.226

34 Iste Apuleius compilauit librum de Deo Socratis, cuius sunt pulchrae sententiae in fine libri, maxime vbi ait: Nihil aequae mirum, quam cum omnes cupiant optime viuere, et sciant non alia arte, quam animo viui, nec fieri posse, quin, vt optime viuas, animus colendus sit; tamen animum suum non colunt. Et ponit exemplum: Oculi sunt curandi, vt acriter videatur; pes curandus, vt perniciouser curratur; brachia vegetanda, vt fortiter pugilletur, et sic de aliis membris: et ideo animus colendus vt bene viuatur. Ibidem ait: quod artes siue scientiae aliae possunt ignorari sine erubescencia, sicut ratio pingendi, psallendi, siue cantandi, quas vir bonus potest contemnere sine vituperatione: sed nescire bene viuere nunquam audebis dicere sine pudore. Item ibidem ait: In hominibus contemplandis noli aliena aestimare, sed ipsum hominem considera, vbi pauperem meum Socratem specta. Aliena voco, quae parentes pepererunt, fortuna largita est. Et sequitur. Generosus est, parentes laudas; diues est, non credo fortunae; validus est, aegritudine fatigabitur; pernix est, abibit in secectutem; formosus est, expecta parum, et non erit. Et ibi bene de consimilibus, vbi etiam de prudentia, quam poetice *Mineruum* nuncupauit, qua comitante, Vlysses euasit pericula, de quibus supra dictum est.

Comment [c210]: Pg.227

35 De Speusippo discipulo Platonis non leguntur alia communiter, quam quae dicta sunt, scilicet, quod Platoni in schola successit, vt dictum est, sicut ait Magister in historia super Hester ad finem c. 2. et quod castigationem serui contumacis commisit ei Plato, quando sensit se iratum: et quod care emit Aristoteles libros illius, vt dictum est supra; si amen fuit idem Speusippus.



*De Xenocrate*

36 Sed de Xenocrate, altero discipulo Platonis, multa praeclara leguntur. De illo ait Tull. de nat. Deorum c. 11. quod Dii poterant eum audire; fuit enim mundi, et mundialium magnus contemptor, sicut idem narrat lib. 5. Tusc. cap. 32. Xenocrates, cum Legati ab Alexandro quinquaginta talenta auri attulissent, quae tunc erat magna pecuniae summa Athenis, adduxit eos ad coenam in Academiam. Iis apposuit tantum, quantum factis erat. Cumque post triduum rogarent eum, cui numerari iuberet pecuniam; quid vos, inquit, hesternae coenula non intellexistis, me pecunia non indigere? Quos cum tristes vidisset, triginta minas accipi fecit, ne aspernari liberalitatem regis videretur.

37 Item fuit voluptatum carnalium austerus mortificator. De sua continentia narrat Valer. lib. 4. c. 4. quod, cum mulier lasciuia, siue meretrix promississet eius continentiam posse corrumpere, et nocte accessisset ad cellam eius, nec in aliquo ad eam diuertisset, respondit mulier in crastino petentibus ab ea pactum, quod non de statua fecerat pactum, sed de homine; vocauit enim eum statuam ob inflexibilem eius continentiam. Et de isto in vita Gregorii Nazianzeni habetur, vbi de duobus philosophis Xenocrate, et Polemone; quorum vnus discumbendo cum meretrice nullo modo commotus, aut commaculatus est; alter vero, cum esset praepotens, humi discumbere solitus erat.

38 Item fuit modestia tranquillus, non credens de facili alienis verbis; sicut narrat Valerius eodem libro de ipso, quod, cum quidam discipulus deceret, Metellium multa mala dixisse de eo, non credidit. Cui quaerenti causam, quare non credidit ei? respondit, non esse credibile, vt quem tantopere amaret, ab eo non diligeretur. At ille, eo iurante, firmavit, numquam eum contra Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici expediret, et sibi dici iudicasset.

39 Item fuit in docendo efficax, et virtuosus. Ad eius doctrinam Polemon perditae luxuriae adolescens, illecebris irretitus et nutritus, fuit ab infami vita conuersus, quando audiuit eum in scholis continentiam, temperantiam, et modestiam commendantem, vt ait Val. lib. 6. c. vlt. de quo dictum est in prooemio de *Communi loquio*, et de hoc Hieron. contra Iouin. lib. 2. c. 9. Xenocrates philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantum praecepta in templo Eleusinae residere scribit: honorandos parentes, venerandos Deos, carnibus non vescendum. De isto dicitur in tractatu de dictis philosophorum, quod cum videret quendam duci ad suspendium, ait, quod magni fures minorem puniebant.

*De Phedone philosopho.*

40 De septimo vero discipulo Platonis, scilicet de Phedone, narrat Agel. lib. 2. c. 18. Phedon Elidensis ex cohorte Socratica, Socrati, Platonique familiaris fuit. Eius nomine Plato illum librum diuinum de immortalitate animae dedit. Fuit autem seruus forma, atque ingenio liberali, et (vt quidam scripserunt) a lenone domino puer ad merendum coactus. Eum Cebes Socraticus, hortante Socrate, emisse dicitur, habuisseque eum postea in philosophiae disciplinis. Is postea philosophus illustris fuit, eiusque sermones de Socrate elegantes leguntur, ibique referuntur alii non pauci, qui primo fuerunt serui, postea clari philosophi extiterunt; vt enim ait

Helinandus, mos fuit Platoni libros suos intitulare nominibus magistrorum, vel eorum, quos docuerat, vt maiorem auctoritatem acquireret. Inde dicti Thymaeus, quem Cicero transtulit, Phedon, Gorgias, etc.

Comment [c215]: Pg.232

#### CAP. XXIV.

##### *De Gorgia philosopho.*

41 Vt ait Tullius lib. de Senectute c. 2. Socratis Magister, Leontinus Gorgias centum et septem compleuit annos, neque in suo studio, atque opere cessauit: qui cum ab eo quaereretur, cur tam diu vellet esse in vita? Nihil inquit, habeo, quod accusem senectutem meam. Pulchrum responsum, et docto homine dignum. Haec ille. Ex quo patet, quod Plato libros suos intitulauit aliquando nomine magistrorum, aliquando nomine discipulorum.

#### CAP. XXV.

Comment [c216]: Pg.233

##### *De Theophrasto.*

42 Vt tactum est superius, successor, et discipulus Aristotelis fuit Theophrastus, qui inter philosophos egregie claruit. Eum, cum Tirtamo illi nomen esset, ob diuinam elocutionem Aristoteles Theophrastum appellauit, vt refert Cicero lib. de Oratore ad Marc. Brutum cap. 19. et recitat Magister in historiis diuersis ante libros Machabaeorum cap. 6. Hic fecit librum de nuptiis, in quo praeclare disputat, an sit uxor ducenda sapienti? in quo tractat de molestiis vxorum, siue coniugiorum; de quo libro multum Hieron. lib. 2. contra Iouin. de quibus in parte dictum est in tractatu, qui dicitur *Communiiloquium*. Fecit alium de amicitia, in quo eam praefert rebus humanis. Hic dicitur accusasse naturam, quod longam vitam dederit bestiis, et non hominibus, vt dictum est supra. Huius sententiae recitantur in libro de Speculo. Expediit probatos amicos amare, non amatos probare. Item: Grauius aduersarium securitate perdidisti. Item: Amantium sunt coeca iudicia. Vltterius non prosequitur August. de successione philosophorum, quorum genus fuit *Ionicum*, scilicet in eis terris, vbi nunc Graecia dicitur, de quibus Aug. 8. de ciuit. Dei cap. 2.

Comment [c217]: Pg.234

#### DISTINCTIO SEXTA.

##### De vita Pythagore et dictis eius.

#### CAP. I.

##### *Quod fuit auctor Italicorum philosophorum.*

1 Et ideo redeundum est ad aliud genus philosophorum, scilicet, *Italicum*, de quo Augustinus ibidem, vbi ait, quod Italicum genus habuit auctorem Pythagoram Samium, a quo nomen philosophiae fuit exortum. Nam cum antea appellarentur *Sapientes*, qui modo quodam

Comment [c218]: Pg.235

laudabilis vitae praestare videbantur, iste interrogatus, quid se profiteretur? *Philosophum* se esse respondit, id est, studiosum vel amatorem philosophiae: quoniam *Sapientem* se dicere sibi arrogantissimum videbatur. Idem ait, Tull. lib. 5. Tusc. cap. 4. vbi ait, nomen *Sapientiae* vsque ad tempora Pythagorae solemne fuit; primus enim ipse respondit se esse *Philosophum*.

## CAP. II.

### *De origine Pythagorae.*

2 De origine sua, et peregrinatione pro sapientia habenda in Policrato recitatur lib. 7. c. 4. quod fuit natione Samius, negotiatoris diuitis filius, cui nomen erat Maratus. Sed parente filius longe ditior erat, quia negotiatio patris **tanta** nequiuit acquirere, quanta filius maluit contemnere, quam habere. Magis itaque sapientiae formatus incrementis, Aegyptum primo, mox Babyloniam ad perdiscendum syderum motus, originemque mundi spectandam profectus, summam scientiam consecutus erat. Inde regressus Cretam, et Lacedemoniam, ad cognoscendas Mynois, et Lycurgi inditas ea tempestate leges, contendit. De hoc ait August. epist. 3. quod Pherecides Assyrius, cum publice disputasset, Pythagoram samium ex disputationis suae nouitate permotum, de athleta fecit philosophum.

Comment [c219]: Pg.236

## CAP. III.

### *De illius auctoritate.*

3 Ab huius vero auctoritate, et famosa opinione, vti ex Augustino iam dictum est, philosophorum genus Italicorum, philosophiaeque nomen exortum est. **Tantus** autem extitit in illa parte philosophiae, quae *Speculatiua* nuncupatur, vt ei quisquam philosophantium vix potuerit adaequari. Ea insuper innocentia, vt ab omnium animantium temperasse se credatur edulio. Tantus in cultu iustitiae, vt populos illius partis Italiae, quae antiquitus magna Graecia erat, post mortem nominis eius auctoritas rexerit. Haec ille. De sua etiam peregrinatione loquitur Tull. lib. 4. Tusc. in princ. vbi ait, quod homines crediderunt Numam regem esse Pythagoram. De huius veneratione et auctoritate Valer. lib. 8. cap. 7. vbi ait, quod Pythagorae veneratio tanta ab auditoribus fuit, vt quae ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas putarent. Qui interpellati ad reddendam rationem, Pythagoram dixisse respondebant. Idem in Policrato vbi supra.

Comment [c220]: Pg.237

## CAP. IV.

### *De honestate vitae, et instructione discipulorum.*

4 De honestate vitae cum discipulis suis, et qualiter habuerunt omnia communia, Agell. lib. 1. cap. 9. Nec praetereundum, inquit, quod omnes simul, qui a Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiae, pecuniaeque habebat, in medium dabat, et coibatur societas inseparabilis, tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod in re atque

Comment [c221]: Pg.238

verbo Romano appellabatur *coinobion*, quod est nomen Graecum, et videtur sonare idem, quod contubernium, vel vnitas. De sapientiali sua industria in considerando discipulos, antequam acciperet eos ad disciplinatum: et de disciplinabili informatione eorumdem, postquam erant recepti, narratur ibidem. Pythagoras, inquit, **adolescentes**, qui sese ad audiendum obtulerant, mores, naturasque eorum coniectatione quadam de oris, et vultus ingenio, deque totius corporis filo, atque habitu sollicitus erat, sciscitabatur. Eum vero, qui exploratus ab eo, idoneusque fuerat recipi in disciplinam, statim iubebat, et ad tempus certum, tacere; non omnes idem, sed aliis aliud tempus pro aestimato captu solertiae. Is, qui autem tacebat, quae dicebantur ab aliis audiebat, neque percontari si parum intellexerat, neque commentari, quae audierat, fas erat, sed non minus quisquam tacuit, quam biennium. Ait tamen Seneca ep. 51. quod apud Pythagoram quinque annis erat tacendum discipulis. Idem Ambros. l. 1. de. offic. c. 3 quod quinque annis ille vsum loquendi inhibebat. Idem Hieronymus super illud Eccles. 3. *tempus tacendi, et tempus loquendi*. Modeste ergo et humiliter cum discipulis habitabat, et doctrialiter, et vtiliter eos instruebat.

Comment [c222]: Pg.239

#### CAP. V.

Comment [c223]: Pg.240

##### *De suo Zelo, et sollicitudine in corrigendo alios.*

5 Qualiter autem studiose laborauit ad proficiendum aliis in docendo, narrat Trogus Pompeius lib. 12. et idem in Policrato vbi supra, vbi dicitur, quod sapientia et legibus instructus ad Crotonicerum vrbem applicuit, omnino resolutam, et solius virtutis opera indigentem; fortunae enim indignantes oderant arma, quae aduersus Locrenses infoeliciter sumpserant, mutassentque vitam luxuria, nisi eis Pythagoras obstitisset. Laudabat enim virtutem quotidie, et vitia denudabat luxuriae, et casuum vrbium perditarum enunciabat causas. Matronarum vero separatam a viris doctrinam, et puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam, et obsequia in viros, nunc illos **modestiam**, et litterarum studium. Inter haec, velut genitricem virtutum, frugalitatem omnibus ingerebat, consecutusque est disputationum assiduitate, vt matronae auratas vestes, caeteraque dignitatis ornamenta, quasi luxuriae instrumenta, deponerent, eaque omnia delata in Iunonis aedem, ipsi Deae consecrarent, praeferens vera ornamenta matronarum, pudicitiam, non vestes esse. Et sequitur, quod cum trecenti viri, ex iuuenibus sodalitiis iuris sacramento, separatam a caeteris ciuibus vitam agerent, quasi coetum clandestinae coniurationis habentes aduersus Pythagoram, ciuitatem in se conuerterunt, quae eos, cum in vnam domum conuenissent, cremare voluit. In quo tumultu sexaginta ferme periire, caeteri vero in exilium sunt profecti. Haec ibi. Ex quo patet, vt ibi dicitur, quantum homo praestat homini, cum vnus personae auctoritas iam lapsus ad frugem melioris vitae reuocauerit **populum**. Patet ergo sua studiositas ad docendum populum, et populi edocti ad ipsum studiositas.

Comment [c224]: Pg.241

Comment [c225]: Pg.242

#### CAP. VI.

##### *De illius industria in pacificando alios.*

6 Quam peritus erat in sedando, et tranquillando animos hominum turbatos, narrat Aug. 5. con. Iulian. c. 5. recitans verba Tullii. Quod cum vinolenti adolescentes mulieris pudicae

fores frangerent, praecepit Pythagoras, vt Spondeum canerent in sono tiliarum. Quod cum fecisset ille, qui sonabat, tarditate modorum, et grauitate cantus illorum furentem resedissee petulantiam dicitur: et huic concordat, quod Seneca lib. 3. de ira c. 9. Pythagoras, inquit, perturbationes animi lyra componebat.

## CAP. VII.

Comment [c226]: Pg.243

### *Qualiter Pythagoras adinuenit musicam.*

7 Qualiter autem musicam adinuenit, narrat Macrobius lib. 2. de somnio Scipionis in princ. Cum, inquit, casu praeteriret in publico, fabros ignitum ferrum mollientes ictibus audiuit, atque in aures eius malleorum soni certo sibi respondentes ordine, repente ceciderunt. In quibus ita, grauati acumina consonabant, vt vtrumque ad audientis sensum statuta dimensione remearet, et ex variis impulsibus vnum sibi consonans nasceretur. Hic occasionem sibi oblatam ratus deprehendendi oculis, et manibus, quod olim cogitatione quaerebat, fabros adit, et imminens operi curiosius intuetur, annotans sonos, qui de singulorum lacertis conficiebatur, quos cum ferientium viribus adscribendos putaret, iubet, vt inter se malleos mutarent. Quibus mutatis, sonorum diuersitas ab hominibus recedens malleos sequebatur. Cumque diuersitatem ponderis in singulis annotasset, aliis ponderibus in maius, minusue excedentibus, fieri malleos imperauit, quorum ictibus soni nequaquam prioribus similes, nec ita sibi consonantes exaudiebantur. Tunc aduertit, concordiam vocis lege ponderum prouenire. Collectisque numeris, quibus consentiens sibi diuersitas ponderum continebatur, ex malleis ad fides conuertit examen, et intestina ouium, vel boum neruos tam variis ponderibus illigatis tetendit, qualia prius in malleis fuisse didicerat: talisque ex his concertus euenit, qualem prior obseruatio, non frustra animaduersa, promiserat, adiecta dulcedine, quam natura fidium sonora praestabat. Hic Pythagoras tanti secreti compos deprehendit numeros, ex quibus soni sibi consoni nascerentur, adeo vt fidibus sub hac numerorum obseruatione compositis, certae certis, aliaeque aliis, conuenientium sibi numerorum concordia tenderentur, vt vna impulsa plectro, alia, licet longe posita, sed numeris conueniens, simul sonaret. Haec ibi. Vnde et ipsis fidibus, et cantu vsus est, prout ait Tullius lib. 4. Tusc. c. 2. vbi ait, quod Pythagorei carminibus solebant, et praecepta quaedam tradere occultius, et mentes suas a cogitationum in tentione cantu, fidibusque ad tranquillitatem traducere.

Comment [c227]: Pg.244

Comment [c228]: Pg.245

## CAP. VIII.

### *De dogmatibus suis compendiosis.*

8 De documentis suis compendiosis haec recitat Hieronimus contra Ruffinum lib. 3. c. 10. vbi ait de dogmatibus Pythagorae. Illius dogmatibus plena est Italia, quae quondam magna Graecia dicebatur, et de authoribus, scilicet Archippo, Liside, qui Archippus Graeciae, Lisides Thebis habuere scholas, qui memoriter tenentes praecepta Doctoris, ingenio pro libris utebantur; a quibus illud est: fuganda sunt omnibus modis et abscindenda a corpore languor, imperitia ab animo, luxuria a mente, a ciuitate seditio, a domo discordia, et in commune a cunctis rebus intemperantia. Item Pythagoreorum sunt ista praecepta. Amicorum omnia esse communia: et Amicum esse alterum seipsum; Duorum temporum habendam rationem, mane et vesperi eorum,

Comment [c229]: Pg.246

quae acturi sumus. Post Deum veritatem colendam, quae sola Deo homines proximos facit. Haec ibi. De huiusmodi dicto Tull. habet de senect. ante fin., et concordat cum praeteritis: Pythagoreorum more, exercendae memoriae gratia, quid, quo die dixerim, egerim, commemoro vesperi, haec sunt exercitationes mentis, haec curricula ingenii. De Pythagorae vero egregio dicto Seneca ep. 96. Quae **praecepta** bona, inquit, si saepe tecum sint, profutura plus puta, quam bona exempla. Pythagoras ait alium animum fieri intransibus templum, Deorumque simulachra ex vicino cernentibus, et alium ante fores alicuius oraculi operientibus. Ex his ergo patet, quanta sapientia humana fuit praeditus, et quanta industria alios docuit.

Comment [c230]: Pg.247

## CAP. IX.

### *De profectu discipulorum sub ipso.*

9 Et ideo merito sub eo profecerunt discipuli sui, et in sapientia, ut dictum est, et in moribus, et in vita philosophica, in declinatione tumultuum mundanorum, et in appetitione quietis, et sapientialium studiorum. Ut enim recitat Hieron. con. Iouin. lib. 2. c. 4. Pythagorei huiusmodi frequentiam declinantes in solitudine, et in desertis locis habitare consueuerunt. Item ratione vnanimis **habitationis**, et communis possessionis, et doctrinalis informationis mutuo se amabant Pythagorei in tantum, quod vnus pro alio paratus erat se morti exponere, prout narrat Tull. 3. de offic. cap. XI. Damonem, et Pynthiam ferunt inter se hoc animo fuisse, ut cum eorum alteri Dyonisius tyrannus diem mortis destinasset, et is, qui morti addictus erat, paucos sibi dies commemorandorum suorum causa postulasset, vades, id est, pignus loco supponendo factus est alter ei sistendi, ut, si non ille reuertisset, moriendum esset ei. Qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petiit, ut se in amicitiam tertium ascriberent, et sic pepercit eis. Idem narrat Ambros. 3. de offic. c. 12. Huius Pythagorae praeceptum fuit, iniussu Imperatoris de statione non recedere, id est, animam de corpore non educere: sicut ait Tull. de senect. cap. 4.

Comment [c231]: Pg.248

## CAP. X.

### *De errore Pythagorae.*

10 Et licet fuerit praedictis praeditus, quia tamen gratia fidei non fuit illuminatus, euanuit in cogitationibus suis, sicut alii philosophi: et errauit, ponendo animas transire de corpore in corpus, sicut recitat Hieron. con. Ruffin. lib. 3. c. 10. vbi ait. Iste apud Graecos primus inuenit, animas esse immortales: de quo Virgilius 6. Aeneidos.

*Has omnes vbi mille rotam voluere per annos,  
Lethaeum ad fluuium Deus euocat agmine magno;  
Scilicet immemores supera ut conuexa reuisant,  
Rursus et incipiant in corpora velle reuerti.*

Et primo posuit Pythagoras se fuisse Euphorbum, secundo Callidem, tertio Hermetimum, quarto Pyrrhum, ad extremum vero **Pythagoram**, et post certos temporum circulos, ea, quae fuerunt, rursum fieri, nihilque in mundo videri nouum. Haec ibi. Et de hoc errore Seneca ep. 110. ait:

Comment [c233]: Pg.250

Pythagoras omnium inter omnia cognationem esse dicebat, et aliorum commentium in alias, et alias formas transeuntium. Nulla, si illi credas, anima interit, nec cessat quidem, nisi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. Haec ille.

#### CAP. XI.

##### *An Deos contempserat?*

11 De illo ita recitat Tull. lib. 3. de nat. Deorum in fine. Pythagoras cum in Geometria quiddam noui inuenisset, musis bouem immolasse dicitur; sed id quidem non credo, quoniam ille nec Apollini Deo hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret. Haec ille. Ex praedictis patet, quanta bonitas lucis aeternae, quae tot **veritates** reuelauit praedicto philosopho, et quantum ei fuerit damnum, non habuisse gratiam fidei, et ipsius lucis reuelantis veram cognitionem, quarum priuatione errauit, sicut et alii, qui euanuerunt in cogitationibus suis.

Comment [c234]: Pg.251

#### CAP. XII.

##### *De morte illius, et honore post mortem.*

12 De illius morte, honore posthumo ita in Polier. vbi supra. Cum, inquit, ad propulsandam labem morum viginti annos exegisset Crotone, Mechapontum migravit, ibique decessit. Cuius tanta admiratio fuit, vt ex domo illius templum facerent, ipsumque pro Deo colerent, nacti forte occasionem ex verbis eius dicentis: Domum philosophantis esse sacrarium sapientiae, et verissimum Dei templum. Traditur etiam persuasisse, hominibus esse animas immortales, **et post dissolutionem vitae praesentis praemia recepturas.** Ipse tamen fabulam mille annorum primus dicitur induxisse. Haec ille. De tempore, quo floruit, narrat Agell. lib. 17. c. vlt. quod Pythagoras Samius venit in Italiam, Tarquinii filio regimen obtinente, cui nomen *superbus* fuit.

Comment [c235]: Pg.252

### QVARTA PARS.

#### CAP. I.

##### *De Carnaiide.*

1 Et quoniam B. Augustinus de praedictorum philosophorum discipulis seriem non prosequitur, valde succedentibus aliis in ordine, subscribentur hic notabilia de philosophis, qui fuerunt eis contemporanei, vel coaeui. Vt enim habitum est supra, Carnaydes philosophus fuit missus cum Dyogene ab Atheniensibus ad senatum: et **hic Carnaydes fuit vehementis studii,** prout narrat Valer. lib. 8. cap. 7. Carnaydes laboriosus, et diuturnus miles sapientiae, nonaginta completis annis (idem enim illi viuendi, et philosophandi finis fuit) ita se mirificum doctrinae operibus addixerat, vt cum cibi capiendi causa recubisset, cogitationibus inhaerens manum ad mensam porrigere obliuisceretur; sed eum Melissa, quam vxoris loco habebat, temperato inter

Comment [c236]: Pg.253



studia animo, non interpellandi, sed inediae succurrendi officio, dexteram suam necessariis vsibus aptabat. Ergo animo tantummodo vita fruebatur, corpore vero quasi alieno et superuacuo circumdatus erat. Idem cum Chrysippo disputaturus, helleboro se ante purgabat ad exprimendum ingenium attentius, et illius acrius refellendum; quas potiones industria solidae laudis cupidus appetendas effecit. Haec ille. Idem fecisse contra Zenonem scripturus ait Agell. lib. 17. c. 15. Carnaydes Academicus, inquit, scripturus aduersus Zenonis Stoici libros, superuacua corporis helleboro candido purgauit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia vsque animi redundaret, et constantiam, vigoremque mentis labefaceret. Tanta cura, tantoque apparatu vir ingenio praestanti ad refellenda, quae Zeno scripserat, aggressus est. Haec ille. Miro ergo modo fuit studiosus ad scienda sapientifica, et multum animatus ad defendenda sua, et conuincenda aliena.

Comment [c237]: Pg.254

## CAP. II.

### *De Demosthene, et eius virtuosus operibus.*

2 Item praedictis fuit coaeuus Demosthenes, sicut ait Magister in hist. super Esther, qui fuit multum studiosus, sicut narrat Valer. lib. 8. c. 7. Demosthenes, inquit, cum inter initia iuuentae primam litteram artis, quam affectabat, non posset exprimere, oris vitium tanto studio expurgauit, vt ea a nullo expressius fereretur. Deinde propter nimiam exilitatem acerbam auditu vocem suam exercitatione continua ad maturum, et gratum auribus sonum perduxit. Ibidem. Lateris infimitate defectus, quas corporis habitus vires negauerat, a labore mutuatus est. Multos enim versus vno impetu spiritus complectebatur, eosque aduersa loca celeri gradu scandens, pronuntiabat. Vadosis littoribus insistens, declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, vt ad fremitus concitatarum concionum patientia, duratis auribus, in actionibus vteretur. Ibidem. Fertur ore insertis calculis diu, ac multum loqui solitus, quo vacuum promptius esset et solutius. Praeliatus est cum rerum natura, et quidem victor abiit, malignitatem eius pertinacissimo animi robore superauit. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est. Haec ibi. Patet igitur ex dictis, qualiter laborauit in exercitio studii.

Comment [c238]: Pg.255

3 Qualiter autem abominatus est voluptatem carnalem, patet ex nobili facto suo, et responso dato Laydi mulieri lasciuae, de quo narrat Agellius lib. 1. cap. 8. et de eodem habetur in Policr. lib. 6. c. 20. Haec autem Lays Corinthia ob elegantiam, venustatemque formae, grandem pecuniam demerebat, conuentusque ad eam ditiorum hominum ex omni Graecia celebres erant: neque admittebantur, nisi qui dabant, quae poscebantur; poscebat autem illa nimiam quantitatem. Hinc natum est frequens illud apud Graecos prouerbium, quod frustra quis iret Corinthum ad Laydem, qui non quiret dare, quod posceretur. Ad hanc ille Demosthenes clanculum adiit, et vt copiam sui sibi faceret, petit; at Lays decem drachmatum millia, vel talentum, quod facit nummi nostratis, inquit Agellius, denarium decem millia. Tali petulantia mulieris, ac pecuniae magnitudine ictus, expaudusque Demosthenes, auertit iter, et discedens: ego, inquit, poenitere tanti non emo. Haec ille. Ex praedictis patet quantum voluptatem detestabatur, et quam prouide ab eo lasciuia arguebatur, et ad poenitentiam alios hortabatur.

Comment [c239]: Pg.256

4 De sua vero industria in arguendo eos, qui suum peccatum defendunt peccantium multitudine, recitat Agell. lib. 10. c. 19. quomodo Taurus philosophus adolescentem quendam arguebat eo, quod a Rhetoribus, et facundiae studio ad philosophiae disciplinas transgressum fecisset. At ille id solitum esse fieri defendebat, et turpitudinem delicti exemplorum vsu, et

Comment [c240]: Pg.257

consuetudine veniam deprecabatur. At Taurus isto, et ipso defensionis genere irritatior: homo, inquit, stulte et nihili, si te a malis exemplis auctoritates, et rationes philosophiae non abducunt, neque illius quidem Demosthenis vestri sententia tibi in mentem venit? cuius haec sunt verba aduersus eum, qui (vt tu nunc facis) peccatum suum alienis peccatis exemptum purgatumque existimabat. Verum ne dicas sic esse actum saepenumero, sed hoc fieri sic decere. Non enim si quid aliquando contra leges actum iam est, tuque id secutus es, propterea iure queas euadere, quinimo eo magis idcirco in te debeat statui. Vt enim si prius in aliquem foret animaduersum, tu minime haec scriberes: ita si ipse in praesentia punieris, nequaquam deinceps alius scribet. Quorum verborum sententia colligitur, quod qui se excusant aliorum peccantium exemplo, vel mala consuetudine, inepte et irrationabiliter se excusant.

Comment [c241]: Pg.258

5 De eodem narratur lib. 11. c. 9. quod legati Milesiorum cum auxilii petendi gratia venissent Athenas, et per aduocatos verba ad populum facerent, Demosthenes eorum postulatis restitit vehementer. Ad quem legati in crastino venerunt, et magnopere orauerunt, vt contra ne diceret, cui etiam pecuniam, quantam petiit, tradiderunt. Postridie cum res deberet agi, Demosthenem lana multa collum, ceruicesque circumuolutum legitur ad populum prodiisse, et dixisse se anginam pati, et proinde contra Milesios loqui non posse. Tum vnum ex populo dicitur exclamasse, non anginam Demosthenes patitur, sed argentanginam, siue cupidiatem. Et hoc postea ipse non celauit, quin potius gloriae hoc sibi assignauit. Nam cum interrogaret Aristodemum actorem fabularum, quantum mercedis, vt ageret, accepisset? et ille respondisset, talentum. At ego, inquit, plus accepi, vt tacerem. Haec ille. Comicus ergo fuit, quando voluit, ad dissimulandum, et agendum. De eodem, et de patientia sua narrat Agell. lib. 1. cap. 5. Traditum est, Demosthenem vestitu, caeteroque corporis habitu nitido, venusto, nimisque accurato fuisse. Hinc ab aemulis, aduersariisque illud probro datum. Hinc etiam turpibus indignisque in eum verbis non temperatum, quin parum vir, atque ore polluto, seu corrupto diceretur, quod et patienter sustinuit. Et de eodem habetur in alio tractatu de Communiloquio par. 1. vbi de Aduocatis; et in Policr. loco citato, vbi dicitur, quod antequam virtus eloquii eius enituisset, cultus pretiosioris dicitur appetiisse nitorem. At postquam notitiam, et famam consecutus est eloquentiae, toga contentus est, dicens, velle potius a se, quam a nitore vestium, aut cultu exquisito conflare gloriam.

Comment [c242]: Pg.259

Comment [c243]: Pg.260

### CAP. III.

Comment [c244]: Pg.261

#### *De Isocrate philosopho.*

7 Demostheni fuit contemporaneus Isocrates, vt dicitur in historia, de quo habetur in Saturnal. lib.7. in prologo, quod cum in conuiuio rogatus esset ab amicis, vt aliquid in medium de suae eloquentiae fonte proferret, hanc veniam deprecatus est. Quae locus praesens, et tempus exigat, ego non calleo, quae ego calleo, nec loco praesenti sunt apta, nec tempori. Recitatur ab aliis hoc dictum fuisse ab Isocrate Oratore.

## CAP. IV.

### *De Democrito philosopho.*

8 Praedictis duobus philosophis legitur coaeuus fuisse Democritus, de quo Val. lib. 8. c. 7. quod cum diuitiis censi posset, quae tantae fuerunt, vt pater eius exercitui Xerxis Regis epulum dare facile potuerit, quo magis vacuo animo studiis litterarum vacaret, parua admodum summa retenta, patrimonium suum patriae donauit. Athenis autem pluribus annis moratus ignotus illi vrbi vixit, sedulo vacans studio philosophiae, de quo ita Tull. lib. 5. Tusc. cap. 36. Veni Athenas, inquit Democritus, neque me quisquam agnouit. Ecce constantem hominem et grauem, qui gloriatur, a gloria se abfuisse. Hic adeo discendi studio tenebatur, quod se ipsum excaecarit, vt certius, subtiliusque secreta naturae inquireret. Vnde Agell. lib. 10. cap. 17. Democritum, inquit, historiae Graecae ferunt luminibus se priuasse, qui cogitationes, commentationesque animi sui in contemplandis naturae rationibus vegetiores et exactiores existimabat, si eas videndi illecebris, et oculorum impedimentis liberasset: vel insuper ne malis ciuibus bene esse videret. Ait tamen Tertull. in Apolog. c. 46. quod ideo excaecauit semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia videre non posset, et doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione professus.

Comment [c245]: Pg.262

Comment [c246]: Pg.263

9 Licet vero esset priuatus luminibus exterioribus, interioribus tamen egregie videbat, vt refert Tull. lib. 5. Tusc. c. 39. Caecitas, inquit, facile ferri potest, si non desint subsidia valetudinum. Democritus luminibus amissis alba, et tetra cernere non poterat; at vero bona, et mala; aequa, et iniqua; honesta, et turpia; vtilia, et inutilia; magna, et parua, et sine varietate colorum ei licebat videre bene, sine notione rerum non licebat etc.

## CAP. V.

### *De Hyppocrate.*

10 Praeteritorum philosophorum tempore floruisse legitur Hyppocrates, de quo narrat Agell. lib. 19. cap. 2 quod multum detestabatur voluptates. Vnde de coitu Venereo ita existimabat, quandam partem esse morbi teterrimi, quem nostri vocant comitalem. Qualiter autem iste instruebat discipulos suos, narrat Hieron. epist. 34. Hyppocrates adiurat discipulos suos, antequam doceat, et in verbis suis iurare compellit, extorquet sacrum silentium, sermonem, incessum, mansuetudinem, habitum, moresque describit, quanto magis, inquit, nos, quibus medicina animarum commissa est? Haec ille.

Comment [c247]: Pg.264

## CAP. VI.

### *De Demetrio.*

11 Demetrius Phaleraeus insignis orator, etsi parum vehemens, dulcis tamen, sed valde allegoricus, discipulus fuit Theophrasti philosophi. De Republica doctissime scripsit, et Atheniensem prudentissime digessit. Nihilominus ab ingratis ciuibus iniuria pulsus, ad Ptolomaeum Alexandriae Regem se contulit, demum in Aegypto aspide ad corpus admota

Comment [c248]: Pg.265

interiit.

12 Hic magnus fuit rerum temporalium contemptor, quod in eo magnopere laudat Seneca epist. 62. Demetrius, inquit, noster sic viuit, non tamquam contempserit omnia, sed tamquam aliis habenda permiserit. Et non solum contempsit, sed nil postulare voluit, prout ait idem Seneca libro de vita beata capite 18. quod ea die, qua Demetrius interdixit sibi velle, interdixit sibi poscere, quasi dicat, nihil voluit possidere, nihil voluit postulare. Et de hoc eodem, lib. 7. de benefic. c. 10. Demetrio si res nostras aliquis Deorum possidendas velit tradere sub lege certa ne liceat donare, affirmauerim repudiaturum, dicturumque: Ego vero me ad istud inextricabile pondus non alligo, nec in altam faecem rerum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad **me** defers populorum omnia mala etc. Et postquam enarrauit incommoda multa diuitiarum, conclusit in persona illius ibidem: Ego regnum sapientiae noui magnum, securum. Ego sic omnia habeo, vt omnium sint. Et cap. 11. Itaque cum Caesar ducenta illi sestertia donaret, videns illa reicit. Et sequitur ibi: ingentem rem ab illo dici audiui, cum miraretur Caesaris dementia, quod se putasset tanti posse mutari. Si tentare, inquit, me constituerat, toto illi fui experiendus imperio; quasi diceret, toto suo imperio non posset me mutare.

Comment [c249]: Pg.266

13 Fuit in laboribus constans et solidus, ita vt nihil haberet ad quod excitaretur, nihil quod eum concitaret, nihil cuius denuntiatione et incursu firmitate animi concideret. Vnde et vitam mollem, et securam sine vllis fortunae incursionibus *mare mortuum* vocabat, vt ait Seneca ep. 67. Similiter fuit constans in sustinendo impropria **verborum**, prout ait Seneca ep. 91. Quid est stultius homine verba metuente? Eleganter Demetrius solebat dicere, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quidquid enim, inquit, mea refert, sursum isti an deorsum sonent? quanta dementia est timeri, ne infameris ab infamibus?

Comment [c250]: Pg.267

## CAP. VII.

### *De Zenone.*

14 Similiter vt ait Agell. lib. 17. cap. vlt. Zeno philosophus Citiensis floruit illis temporibus, qui fuit magnus mundialium contemptor. De quo Seneca de tranquillit. aliquantulum ante finem: Nunciato, inquit, naufragio, Zenon noster cum omnia sua audiret submersa: iubet me, inquit, fortuna expeditus philosophari. Hic fuit constans stabilitate, prout recitat Tull. lib. 2. Tusc. cap. 22. vbi ait quod Zenon perpessus est omnia **tormenta**, antequam conscios delendae tyrannidis indicaret. Iste fuit moderantia vitae honestus; de eo enim ait Seneca ep. 6. Zenonem, inquit, Cleantes non expressisset, si eum tantummodo audiisset; vitae eius interfuit, secreta perspexit, obseruauit illum an ex formula sua viueret. De huius dicto egregio recitatur in tractatu de dictis philosophorum, quod viro et vxori garrulis ait. Cum duo, inquit, soli estis, quomodo vos capit vna domus loquaces? Et tamen quia non fuit illuminatus gratia, errauit. Posuit enim voluptatem esse quid indifferens, sicut recitat Agell. lib. 9. cap. 5.

Comment [c251]: Pg.268

## CAP. VIII.

### *De Tauro philosopho, et de Stoico philosopho pugnante cum dolore.*

15 Item idem Agell. recitat multa praeclara de philosopho Tauro, de quo mentio facta est **supra**, praesertim lib. 12. cap. 5. Cum Delphos ad Pythia, inquit, conuentumque totius ferme Graeciae philosophus Taurus iret, diuertit ad amicum, nobilem virum, in Stoica disciplina philosophum, aegra valetudine oppressum, qui doloribus cruciatibusque, quod Graeci *colon* dicunt, et febre simul afflictatus erat, viditque gemitus ex eo compressos erumpere, spiritusque et anhelitus ex pectore eius euadere, non dolorem magis indicantes, quam pugnam aduersus dolorem. Et cum ipsum ad retinendam patientiam Taurus stabilisset, egressus est cum sociis, quibus inquit: Vidistis non sane iucundum spectaculum, sed cognitu tamen vtile; congregientes, compugnantesque philosophum et dolorem. Faciebat vis illa, et natura morbi quod suum erat, distractionem, cruciatumque membrorum: faciebat contra ratio, et natura animi, quod erat aequum, perpetiebatur, et cohibebat, **coercebatque** intra se violentias effraenati doloris. Nullos eiulatus, nullas complorationes, ne vllas quidem voces indecoras emittebat. Et ibi consequenter refertur de inquisitione discipuli a Tauro philosopho de ipso dolore, qualiter est indifferens apud Stoicos: et de sufferentia doloris, qualiter ipsum scilicet suffert sapiens? Nam praedictus philosophus gemitus non edebat, vt praedictum est.

Comment [c252]: Pg.269

Comment [c253]: Pg.270

16 Narrat de isto philosopho Agell. lib. 1. c. 26. quod dabat saepe post quotidianas lectiones quaerendi, quod quis vellet, potestatem, et ab eodem quaesiuit discipulus, an sapiens irascetur? Vnde et ibi determinatur, qualiter sapiens exercet opera disciplinae sine ira? vbi introducitur exemplum de Plutarcho, iubente verberari famulum sine ira et irae signis; de quo dictum est in Communiloquio. De eodem narrat Agell. lib. 20. c. 3. quod cum adolescentem a sodalitatibus conuentuque hominum scenicorum **abducere** vellet, misit ei verba ista ex Aristotelis libro Problematum exscripta. Hoc genus hominum, quod Dionisiacos technitas, artifices Bacchanales appellamus, improbis esse moribus magna ex parte consueuerunt, quia minime sese sapientiae studio dedunt, et in artibus non necessariis, neque honestis magnam partem aetatis suae consumunt: et vitam plurimum traducunt incontinenter, partim etiam cum inopia, quod quidem vtrumque vitia et gignit, et auget.

Comment [c254]: Pg.271

## CAP. IX.

### *De altero philosopho Stoico, et tempestate naufragii.*

17 Idem Agell. lib. 19. c. 1. narrat de philosopho Stoico, de quo recitat August. 9. de ciuit. c. 4. cuius erat opinio, sicut Stoicorum, quod non caderet timor in animum sapientis; qui tamen palluit in tempestate naufragii: et cum postea **argueretur** a diuite Asiatico, in eadem tempestate nuper terrore, retulit responsum Aristippi Socratici, qui cum in re simili argueretur, respondit, illum pro anima nequissimi nebulonis merito non fuisse sollicitum, se autem debuisse timere pro anima Aristippi. Hac illo diuite responsione depulso, postea quaesiuit Gallius a philosopho non exagitandi animo, sed discendi, quoniam illa ratio esset pauoris sui, cum praeceptum sit disciplinae Stoicorum, ne mortis timeatur aduentus, quam constat indubium esse terminum vitae? Ille protulit librum Epicteti Stoici. Cumque librum tenuisset Agellius, inuenit Stoicis placuisse, non esse in potestate hominis, vt visa, quas fantasias vocant, in animum veniant, aut recedant; et cum venerint ex terribilibus rebus, aut contra, necesse asserunt moueri

Comment [c255]: Pg.272

animum etiam sapientis ita, vt paulisper metu trepidet, tristitia contrahatur, dilatetur laetitia, cupiditatibus moueatur, tanquam his passionibus rationis, et mentis officium praeuenientibus, non ideo conscientiam mali in mente versari, nec approbari ista, aut eis aliquem indulgere consensum. Haec enim volunt esse in potestate, atque haec interesse censentur inter animum sapientis, et stulti; quod stultus consensu mentis passionibus cedit; sapiens autem, licet eas necessitate patiat, retinet tamen de rationabiliter appetendis, vel fugiendis veram, et firmam, et inconcussam mentis sententiam. Haec ille, quod tamen non est intelligendum fieri perfecte absque diuinae gratiae adiutorio.

Comment [c256]: Pg.273

## CAP. X

### *De Publio Mimo, et eius egregiis sententiis.*

18 Idem Agell. de Publio, et eius sententiis lib. 17. c. 14. haec refert. Publius Mimus vir eruditus et lepidus, apud Caium Caesarem in pretio habitus, aliquot scripsit sententias ad communem sermonum vsu commodatissimas. Ex quibus sunt istae singulis versibus circumscriptae.

Comment [c257]: Pg.274

*Malum est consilium, quod mutari non potest.  
Beneficium dando accipit, qui digno dedit.  
Feras, non culpes, quod vitari non potest.  
Cui plus licet, quam par est, plus quoque vult, quam licet.  
Comes facundus in via pro vehiculo est.  
Frugalitas miseria est rumoris boni.  
Haeredis fletus sub persona risus est.  
Furor fit laesa saepius patientia.  
Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.  
Ita amicum habeas, vt posse fieri inimicum putes.  
Veterem inferendo iniuriam, inuitas nouam.  
Numquam periculum sine periculo vincitur,  
Nimium altercando veritas amittitur.  
Pars benefitii est, quod petitur, si cito neges.*

Comment [c258]: Pg.275

## CAP. XI.

### *De Fauorino, et documentis eius.*

19 Idem Agell. multa recitat de Fauorino philosopho lib. 12. cap. 1. ponens sua documenta praeclara. Ipso enim suadente nobili mulieri, vt filium lacte suo nutret, cum mater puellae diceret, esse ei parcendum, adhibendasque puero nutrices. Oro te, inquit, mulier, sine eam integram matrem fieri filii sui; est enim contra naturam, imperfectum, dimidiatumque matris genus peperisse, ac statim a sese abiecisse: aluisse in vtero sanguine suo, quem non viderat, et lacte non alere, quem videbat iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem. An putas, naturam dedisse foeminis vbera ornandi pectoris causa, et non liberorum alendorum? Ita

Comment [c259]: Pg.276

videntur prodigiosae hae mulieres fontem illum sanctissimum, corporis humani educatorem arefacere, et extinguere, cum periculo quoque auersi, corruptique lactis laborant. Et ponit exempla, quod si ouium lacte hoedi, aut caprarum agni alantur, constat in his lanam duriozem, in illis capillum gigni teneriozem. Sed et ipsae ferae suos a matribus filios docent educari debere. *Hircanaeque admorunt vbera tigres*, scilicet catulis suis inquit Maro. lib. 4. Aeneid. Item tales mulieres, quae dederunt filios suos aliis ad nutriendum, id vinculum, coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, intercidunt, aut certe diluunt. Ipsius quoque infantis affectio animi, amoris, consuetudinis in illa sola, vnde alitur, occupatur. Haec ille. Rationabiliter, clementer, et vtiliter ista persuasit.

#### CAP. XII.

Comment [c260]: Pg.277

*De eodem philosopho reddente causam non esuriendi, aut sitiendi.*

20 Idem lib. 15. c. 3 recitat eiusdem philosophi sententiam. Cum enim visitasset aegrum quemdam, in quo omnis edendi appetitio pristina elanguerat, inquit Fauorinus, quod non fuit mirum: quia, vt ait Erasistratus, esuritionem faciunt inanes, patentesque intestinorum fibrae, et caua intus ventris ac stomachi vacua hiantia; quae, vbi aut cibo complentur, aut inanitate diutina contrahuntur, et conniuent, tunc loco, in quem cibus capitur, vel stipato, vel adducto voluntas capiendi cibi, desiderandique restinguitur. Scythas quoque ait, dixisse eundem Erasistratum, cum sit vsus, vt famem longius tolerant, fasciis ventrem strictissime circumligare: dicitur enim ea ventris compressione esuritionem posse depelli. Haec ille. Et rationabilem prorsus videtur assignasse causam famis, vel fastidii.

Comment [c261]: Pg.278

#### CAP. XIII.

*De eodem referente, qualiter suos versus edebat Virgilius.*

21 De eodem philosopho Agell. lib. 17. c. 10 recitat, eum retulisse verba Virgilii, quem dicere solitum ferebant amici, se parere versus more atque ritu vrsino. Nam vt illa bestia foetum edit ineffigiatum, informemque, lambendo id postea, quod ita ediderat, se conformare, et fingere: proinde ingenii quoque sui partus recentes rudi esse facie, et imperfectos, sed deinceps tractando, colendoque reddere iis se oris, et vultus lineamenta. Haec ille. Sicut ergo Virgilius dicebat, se parere primo rudes versus, demum tractando formasse, sic debent homines prouidi opera, quae primo faciunt informia et rudia, postea tractando, discutiendo, deponendo deformitatem, perficere, et formare.

Comment [c262]: Pg.279

#### CAP. XIV.

*De nobili sapiente, dante consilium Lacedaemoniis.*

22 Idem Agell. lib. 14. cap. 3. ex Aeschine ita narrat de nobili quodam et sapiente viro, dante consilium Lacedaemoniis. Populus, inquit, Lacedaemoniorum de summa repub. sua



quidnam esset vtile, et honestum deliberabat. Tunc exurgens sententiae dicendae gratia homo quispiam turpitudine vitae praeteritae defamosissimus, sed lingua, et facundia nimis quam praestabilis, consilium, quod dabat, quodque oportere fieri suadebat, acceptum est ab omnibus, futurumque erat ex eius sententia populi decretum. Ibi vnus ex illo principum ordine, quibus tamquam arbitris et magistris disciplinae vtebantur Lacedaemonii, commoto, iratoque animo exiliit. Quenam vero ratio, inquit, o Lacedaemonii, aut quae spes tandem erit, vrbem hanc, et hanc rempublicam saluam, inexpugnabilemque esse diutius posse, si huiusmodi anteactae vitae hominibus consiliariis vtemur? Quod si proba, honestaque sententia ista est, quaeso vos, non sinamus, eandem dehonestari turpissimi auctoris contagione? atque hoc vbi dixit, elegit virum fortitudine atque iustitia praeter alios praestantem, sed inopi lingua, et infacunda. Iussitque, eum consensu petituque omnium eandem illam sententiam disertum viri, cuiusmodi posset verbis, dicere, vt nulla prioris mentione habita, scitum atque decretum populi ex eius vnus nomine fieret; quod ipsum denuo dixerat, atque ita, vt sua serat prudentissimus senex, factum est. Sicque bona sententia mansit, turpis auctor mutatus est. Haec ille. Ex his patet, quod publicus consiliarius magnatum, vel reipublicae, siue praedicator vel doctor, debet esse vitae bonae, et famae honestae.

Comment [c263]: Pg.280

Comment [c264]: Pg.281

## CAP. XV.

### *De Chilone, et eius dictis.*

23 Idem Agell. recitat lib. 1. c. 3. de Chilone, qui legitur vsque ad finem vitae dubitasse, an vnquam faciendum est contra ius, vel contra morem pro amico? Et ibi colligitur ex verbis Ciceronis, quod cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine vlla exceptione communitas, vt etiam, si quae fortuna acciderit, vt minus iuste voluntates amicorum adiuuandae sint, in quibus eorum, aut caput agatur, aut fama, declinandum sit de via, modo ne summa turpitudine sequatur. Est enim quatenus amicitiae venia dari possit, et proinde concludit, contra patriam pro amico arma sumenda non esse. Sed ait Theophrastus: parua, inquit, vel tenuis turpitudine, vel infamia subeunda est, si ea re magna vtilitas amico quaeri potest. Rependitur quippe, et compensatur leue damnum delibatae honestatis, maiore alia, grauioreque in adiuuando amico honestate, minimaque illa labes, et quasi lacuna famae imminentis partarum amico vtilitatum ratione solidatur. Cum enim amici vtilitas nimium est amplior, et honestatis nostrae in re non graui leuis iactura, praeponderandum quod vtile amico, sicut magnum pondus aeris parua lamina auri fit pretiosius. Haec ille. Idem Chilo ait, duas affectiones ferocissimas, scilicet amoris et odii, intra modum esse coercendas. Hoc, inquit, limite ames tamquam forte fortuna osurus; hac itidem tenus oderis tamquam fortasse post amaturus. Haec ille.

Comment [c265]: Pg.282

## CAP. XVI.

### *De Marco Tullio.*

24 De Marco vero Tullio, quam studiosus fuit, et quam sedulus in laborando, et quam praeclarus in variis scientiis, patet in libris multis, quos edidit, et compilauit; quorum nomina

Comment [c266]: Pg.283

recitat ipse lib. 2. de diuinat. in principio, vbi ait: Cohortati sumus ad philosophiae studium in eo libro qui est scriptus Horensius, de quo libro loquitur August. 3. confess. c. 4. et qui mutauit affectum suum, prout ibi fatetur. Ibidem recitat Tull. de quatuor libris Academicis, et de quinque libris Tusculanis, et de sex libris scilicet Annuntiandi, et de libro de Senectute. Quae autem, et quanta egregia documenta collegit in libris praedictis, patet inspicienti. Vnde de ipso ait Seneca epist. 49. Negat Cicero, si sibi aetas duplicaretur, se habiturum tempus, quo **legat** libros Liricos, eodem modo Dialecticos. Et licet esset sic studiosus, fuit tamen sollicitus pro regimine reipublicae. Vnde narrat de seipso in lib. de amicitia cap. 4. Non minori sibi curae fuisse, qualis esset respublica post mortem suam, quam tunc scilicet in vita. Vnde et pro republica multa sustinuit, prout narrat Seneca lib. de breuitate vitae aliquantulum post principium. Marcus, inquit, Cicero iactatus inter manifestos inimicos, et partim dubios amicos, dum fluctuaretur cum republica, in quadam ad Atticum epistola ait. Quid agam? inquit, quaeris, moror in Tusculano meo semiliber; aliaque deinde adiicit, quibus et priorem aetatem complorat, et de praesenti queritur, de futura desperat, ideo semiliberum se dixit. Improbatur tamen Seneca ibi istud dictum, adiiciens, quod sapiens numquam in tam humile nomen procedet, numquam semiliber erit, integrae semper libertatis, et solidae **solutus**, et sui iuris altior coeteris. Quid enim supra eum potest esse, qui supra fortunam est?

Comment [c267]: Pg.284

Comment [c268]: Pg.285

25 Quam vero cautus fuerit in cauendis exprobrationibus hominum, et in dissimulandis sibi impositis, narrat Agell: lib. 12. c. 12. dicens: Si obiectum tibi fuerit turpe aliquid, quod negari nequeat, responsione ioculari eludas, et rem facias risu magis dignam, quam crimine. Et ponit exemplum de Cicerone, quod cum obiectum esset ei, se accepisse pecuniam a reo, vt domum emeret, negauitque se postea domum empturum, cumque dictum esset ei, se negasse, quod prius voluit, respondit: Ignoratis, prudentis et cauti patris familias esse, quod emere velit, empturum se negare propter competitores emptionis? et sic ioculari responsione elisit sibi crimen impositum. Quam porro discretus fuerit in sententiis suis, quam utilis in admonitionibus, quam rectus in iudiciis, quam **facundus** in eloquiis, vbique patet in eius operibus.

Comment [c269]: Pg.286

## CAP. XVII.

### *De Seneca.*

26 Demum Seneca qualis fuerit, quam discretus, quam vtilis sententias, et doctrinas edidit, patet in egregiis voluminibus, ab eo conscriptis. Fuit autem trinomius more Romanorum; dicebatur enim Seneca, Annaeus, Lucius, sicut ipse ait loquens de se lib. 4. de benef. c. 6. suum referens praenomen, nomen et cognomen. Vixit temporibus Apostolorum, cuius epistolae quaedam leguntur ad Paulum, vt ait August. ep. 36. Vnde et ipsum numerat Hieronymus in libro illustrium scriptorum. Vitae fuit honestae, magnae abstinentiae, et conuersationis vrbanae, sicut patet in eius libris, et vtilibus documentis. In ep. 87. loquens de vita sua, panis inquit, siccus, et sine mensa **prandium**, post quod non lauando manus dormio minimum. Consuetudinem meam nosti. Breuissimo somno vtor, et quasi interuigilo. Satis est mihi vigilare desiisse, aliquando dormiisse me nescio, aliquando suspicor. Fremitum patientissime fero. Et sic de aliis, quae ibi enumerat. Similia de sua abstinentia habet epist. 110.

Comment [c270]: Pg.287

27 Ipsum tamen, et doctrinae suae modum increpat Agell. lib. 12. c. 2. dicens. De Annaeo Seneca aliqui existimant, quod eius oratio vulgaris videtur, et protrita. Et sequitur.

Eruditio autem vernacula et plebeia, nihilque ex veterum scriptis habens, neque gratiae, neque dignitatis, vbi multum circa haec se diffundit. Et de Seneca non dissimiliter iudicauit Quintilianus; cuius verba recitat Policratus lib. 8. c. 13. Tractauit, inquit, omnium fere studiorum naturam; nam et orationes eius, et poemata, et dialogi feruntur, in philosophia parum diligens, egregius vitiorum insectator fuit. Multae in eo, claraeque sententiae, multa etiam morum genera legenda, sed in eloquendo corrupta plaeraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Sed, vt ait auctor ibi, an recte senserit Quintilianus, sapientiorum iudicio relinquo: legantur epistolae eius, et libri diuersi. Vbique fidelis custos virtutis, vbique vitiorum hostis occurrit. Tantus vbique, vt eum Fronto, nepos, vt aiunt, Plutarchi, asserat vniuersos exterminasse errores, et aurea videatur saecula reformasse, et Deos ad humano genere exulantes, eius opera reuocatos hominibus, contracta societate, miscere. Haec ille. Licet ergo Quintilianus litterator acumine et grauitate dicendi praecederet, iste diligentior est; et quantum in Rhetorica vincitur, tantum vincit in Ethica, vt dicitur ibidem.

Comment [c271]: Pg.288

28 Seneca iste magister fuit Neronis, et ab eodem postea occisus fuit, prout ait Boetius 3. de consolat. c. 5. Nero, inquit, Senecam familiarem, praeceptoremque suum ad eligendae mortis coegit arbitrium. vbi ait expositor, quod Suetonius refert. Cum Nero esset Imperator, fingebat se timere illum magistrum suum, quasi in pueritia, et nactus occasionem mandauit ei, vt sibi genus mortis eligeret. Ille vero cibo, et potu se satians, venam incidi fecit, et in balneo, vt dicunt aliqui, nimio fluxu sanguinis interiit. Vnde quodam praesagio habuisse dicitur nomen *Seneca*, quasi se necans, eo quod sibi mortem elegit.

Comment [c272]: Pg.289

## CAP. XVIII.

### *De Boetio.*

29 De Boetio vero quantus fuerit in philosophia, et in Theologica sapientia, patet in libris ab eo editis tam de humana sapientia, quam de diuina. Fuit autem temporibus Theodorici regis, claruitque virtutibus: et Consul in vrbe fuit eo tempore, quo Gothi Romam inuaserunt, omnemque abdicarunt libertatem illorum, qui ipsis noluerunt adhaerere. Cumque Theodoricus voluisset in vrbe tyrannidem exercere, ac bonos ex Senatu neci dare, Boetius eius dolos effugere volens, missis clam litteris ad Graecos, nitebatur, urbem, et Senatum ex ipsius manibus eripere, eorumque committere defensionem. Sed postquam a rege conuictus est, quasi reus maiestatis iussus est in carcerem detrudi. Sic missus in ergastulum adhibuit sibi consolatricem philosophiam, edito libro de consolatione philosophiae, ne nimio dolore, aut tristitia opprimeretur. Demum Theodoricus Symmachum martyrizauit, cuius filiam habuit Boetius in vxorem. Duo filii eius permanserunt in Consulatu sub regia potestate.

Comment [c273]: Pg.290

30 *Boetius* dictus est a *Boetes* Graeco verbo, id est, adiutor, vel *auxilium*, eo quod adiutor multorum fuit. *Seuerinus* vocatus a Seueritate iudiciaria; et hoc fuit proprium nomen eius, vt ferunt. *Anicius*, eo quod de genere Aniciorum, id est inuictorum fuit. *Manlius*, quia originem duxit a Manlio Torquato. *Ordinarius* etiam dicebatur quia alios ordinabat in dignitate. *Patricius*, quia amore patris gubernabat patriam rempublicam. *Exconsul*, quia exiit e Consulatu, peracto sui muneris anno. Nobiles enim Romani nomina, praenomina, et cognomina filiis imponebant, vt in ipsis originis series agnosceretur. Vnde titulus libri sui de consolatione philosophiae talis erat. *Liber Anicii Manlii Seuerini Boetii, Exconsulis, Ordinarii, Patricii.*

Comment [c274]: Pg.291

De perfectionibus philosophicis.

CAP. I.

*De philosophorum perfectione in vitiorum detestatione.*

1 His enarratis singillatim de exemplis mirabilibus philosophorum, et dictis mirabilibus eorum: quia Tullius et Seneca in libris suis sparsim narrant multa praeclara de diuersis, as maiorem distinctionem, et faciliorem inuentionem videndum est, in quibus consistebat perfectio philosophica illa vmbratica. Nulla enim est perfectio vera sine gratia Dei, *quae operatur in nobis et velle et perficere pro bona sua voluntate* ad Phil. 2. fuit autem perfectio eorum in multis suo modo. Sed vt distincte procedatur, dico, quod primo fuit in vitiorum et peccatorum detestatione, prout potest fieri sine gratia fidei illuminantis. Vnde narrat Agell. lib. 12. c. 11. Vidimus, inquit, philosophum, nomine Peregrinum, virum grauem, atque constantem apud Athenas, in quodam tugurio extra vrbem diuersantem. Cumque ad eum frequenter ventitarenus, multa audiuimus eum dicere vtiliter, et honeste; in quibus illud fuit praecipuum: Virum quidem sapientem non peccatum esse, etiam si peccasse eum Dii atque homines ignoraturi forent. Non enim poenae aut infamiae metu non esse peccandum censebat; sed iusti, honestique studio, et officio. Haec ille.

Comment [c276]: Pg.293

2 His conformiter dixit Tull. lib. 3. de offic. c. 9. Nihil turpe faciendum bono viro, etiamsi ex omni parte lateat; vbi introducit fabulam, et ponit exemplum de Gygaeo annulo inuento in equo aeneo in hiatu terrae, quem si quis portaret super se, non poterat videri ab aliquo, licet ipse posset videre omnia, sicut habitum est de hoc in Communiloquio prolixius parte 3. Nec propter hoc deberet aliquis aliquid turpe agere, vt ibi ait. Vnde praemittit: Satius nobis, si modo in philosophia aliquid perfecimus, persuasum esse debere: Si omnes Deos, hominesque celare possumus, nihil tamen a nobis auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. Quamuis enim vitium non possit quis detestari sine diuina gratia sufficienter, vnde est Dei offensiuum, diuinae legis praeuaricatuuum, imagnis Dei deformatiuum, et gratiae priuatiuum; tamen aliquo modo potest quis illud detestari, prout est naturae laesiuum, et ei aduersum, vt ait Seneca ep. 97. Scelera tuta esse non possunt. Et sequitur: Quia prima illa et maxima peccantium est poena peccasse, nec vllum scelus, licet tueatur, ac vindicet, licet fortuna illud exornet muneribus suis, impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est; sed nihilominus malam mentem haec et illa poenae premunt ac sequuntur, timere semper, et expauescere, et securitati diffidere. Et sequitur: Hic consentiamus Epicuro mala facinora conscientia flagellari, et plurimum illi tormentorum esse, eo quod perpetua illum sollicitudo vrget, ac verberat, quod sponsoribus securitatis suae non potest credere. Hoc enim argumentum ipsum est Epicuri, natura nos a scelere abhorre, quod nulli non etiam inter tuta timor est. Multos fortuna liberat a poena, a metu neminem. Quare? nisi quia infixam nobis eius rei auersio est, quam natura damnauit. Ideo numquam fides latendi fit, etiam latentibus, quia coarguit eos conscientia, et ipsos sibi ostendit. Proprium autem nocentium est trepidare. Haec ille. Et concordat cum Scriptura Sapient. 7. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis*, et cum B. Augustino dicente. *Iniquus animus, siue iniquitas est poena sui.*

Comment [c277]: Pg.294

Comment [c278]: Pg.295

3 His ergo considerationibus, scilicet ratione dedecoris confusibilis, et deodinationis irrationalis, et vilitatis inaestimabilis, et inhonestatis vituperabilis, et multorum aliorum

Comment [c279]: Pg.296

nocumentorum, quae sunt in peccato, detestabantur vitia philosophi (licet non perfecte et ordinate) vnde et a vitiis se abstinebant, et cauebant, prout narrat Tull. de senect. c. 2. de Leontino Gorgia, magistro Socratis, qui compleuerat annos centum et septem, nec vmquam a suo studio aut opere cessauerat. Qui, cum ab eo quaereretur, cur tam diu vellet esse in vita? Nihil, inquit, habeo, quod accusem senectutem meam. Praeclarum, inquit Tullius, responsum et docto homine dignum. Et proinde philosophi constantissime studuerunt esse dissimiles malis, propter quod et tormenta multa sustinuerunt. Aliqua recitat Boetius I. de consolat. **cap. 3.** vbi introducit philosophiam ipsum visitantem, et tormenta, quae sustinuerunt philosophi, recitantem, sicut Socratis venenum, Zenonis tormenta, et sic de aliis, quos ibi enumerat. Hos vero nihil aliud in cladem detraxit, nisi quod, moribus philosophicis instituti, studiis improborum dissimillimi videbantur, ab eis se custodiebant, dissimiles malis esse studebant, et ob hoc tormenta sustinebant, multo magis philosophi fideles, et diuini debent esse tales.

Comment [c280]: Pg.297

## CAP. II.

### *In uoluptatum carnalium mortificatione.*

4 Non solum fuit perfectio philosophica in vitiorum detestatione; sed et in voluptatum carnalium, et concupiscentiarum mortificatione, sicut possunt mortificari sine gratia, vt dictum est, et patet ex vita philosophorum superius **descripta.** Vnde dicebat Plato. 1. de Phedone longe a princ. mortem talibus esse necessariam philosophis, vt supra dictum est. Miro ergo modo abominabantur philosophi voluptates carnales, sicut recitat Agell. lib. 19. c. 2. Voluptas, inquit, quae nimia ex gustu, atque tactu est (sicut censuerunt viri sapientes) omnium rerum foedissima est; eosque maxime, qui duabus istis belluinis voluptatibus sese dederunt, grauissimi vitii vocabulis Graeci eos appellant *ἀχολάσοις* vel *ἀχρατεῖς* nos eos, vel incontinentes, vel intemperantes dicimus. Istae autem duae voluptates Gustus, atque Tactus, id est libidines in cibos, atque in Venere prodiuae, solae sunt hominibus communes cum bestiis. Idcirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur, quisquis est his ferinis voluptatibus praeuinctus. Coeterae ex tribus aliis sensibus proficiscentes hominum esse tantum propriae videntur. Haec ille. Et subdit verba **super** hac re ex libris Aristotelis. Adscripsi, inquit, haec verba, vt vel auctoritas clari, atque inclyti viri a tam infamibus voluptatibus nos deterreret. Deinde verba ibi ex textu Graeco recitat, subiungens: Quis igitur habens aliquid humani pudoris voluptatibus istis duabus coeundi atque comendendi, quae sunt homini cum sue atque asino communes, gaudeat? Deinde refert verba Hyppocratis, diuina viri scientia, qui coitum Venereum existimabat partem esse quamdam morbi teterrimi, vt recitatum est supra: nec non et verba Socratis dicentis, se esse, ac bibere, vt viueret, non e conuerso. Miro enim modo philosophi exterminabant, et mortificabant praedictas voluptates. Exemplum habetur de Xenocrate vbi supra, quem mulier vocauit statuum.

Comment [c281]: Pg.298

Comment [c282]: Pg.299

5 Qualiter autem vtebantur sobrie et temperate necessariis vitae, recitatur in Policrato lib. 8. c. 8. vbi distinguit conuiuia, dicens: quod **sunt** conuiuia plebeia, quae sunt soluta a legibus philosophiae; et sunt ciuilia, quae quidem non dissoluta, sed liberioris licentiae, et opulenta magis, et quae ad communem laetitiam, salua tamen modestia, magis, quam ad philosophicum rigorem accedunt. Conuiuia vero philosophica sunt omnino castigata, et suis regulis limitata, vt qui versantur in iis, possint, nulla cibi aut potus impediende molestia, suis officiis inseruire. Sobria enim sunt et ab omni luxuria castigata; non impediunt Socratem, ne

Comment [c283]: Pg.300

positiuam iustitiam exequatur; a naturali inquisitione Platonem non reuocant; memoriam rerum gestarum non excutiunt Critiae; Tymaeus non prohibetur causas rerum omnium aperire: nec aliquis a quocunque virtutis officio retardatur. Haec ille. Patet ergo perfectio philosophica suo modo in praedictis. Vt enim ait Tull. lib. 5. Tusc. c. 28. Sapientis est proprium, nihil, quod poenitere possit, facere; nihil iniuste, sed splendide, constanter, grauitate, et honeste omnia facere. Haec ille.

Comment [c284]: Pg.301

### CAP. III.

#### *In mundialium, et diuitiarum despectu, vel dimissione.*

6 Item perfectio philosophica in mundialium, et mundi contemptu, despectu, et dimissione satis patet ex dictis; scilicet qualiter Philosophi mundum despexerunt, et omnia dimiserunt. Sicut Democritus, et Diogenes, de quibus supra: hoc enim fuit quasi commune philosophis, sicut recitat Hieron. ep. 125. Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum pergeret Athenas ad philosophiae studium, magnum auri pondus abiecit; nec putauit se simul posse et virtutes, et diuitias possidere. Et ep. 116. nec non lib. 2. contra Iouin. cap. 4. de eodem recitat philosopho, quod multarum possessionum pretium proiecit in pelagus: abite, inquit, pessum malae cupiditates, ego vos mergam, ne submergar a vobis. Philosophus gloriae animalis, et popularis aurae vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit. Haec ille. Philosophi enim non reputabant bona mundialia esse sua, et ideo nec ea appetebant, nec de amissione dolebant, prout ait Seneca de constantia sapientis c. 5. dicens: Megaram Demetrius Poliorcetes ceperat: ab hac exiens Stipon philosophus, interrogatus, num aliquid perdidisset? Nihil, inquit, omnia mea mecum sunt; et tamen patrimonium eius in praedam cesserat, et filios hostis rapuerat, et patriam. Et sequitur. Habebat enim bona vera secum, in quae non est manus iniectio. At ea, quae dissipata, direptaque ferebantur, non iudicabat sua, sed aduentitia, et nutum fortunae sequentia: ideo non vt propria dilexerat; omnium enim extrinsecus affluentium lubrica, et incerta possessio est. Haec ibi. Vnde et de paupertate philosophorum ait Tull. lib. 5. Tusc. c. 31. Quis paupertatem, inquit, extimescit? An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam habere; nostrates philosophi facere non poterunt? Illius epistola fertur his verbis. *Anacharsis Haemoni salutem.* Mihi amictui est Scythicum tegmen, calceamentum solearum callum, cubile terra, pulpamentum fames, lacte, carne, caseo vescor, quare vt ad quietum me venias licet. Munera autem ista, quibus es delectatus, vel ciuibus tuis, vel Diis immortalibus dona. Omnes fere philosophi omnium disciplinarum, nisi quos a recta ratione natura vitiosa distorsisset, eodem hoc animo esse potuerunt. Haec ille. Et exemplificat ibi de Socrate, et Xenocrate, de quibus supra. De quolibet tali potest dici id, quod ait Valer. lib. 4. cap. 3. de Fabritio: locupletem illum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare. Si ergo illi sic contempserunt mundanas diuitias absque spe coelestium diuitiarum, multo magis debent fideles, et coelici philosophi eas contemnere, vt accipiant in futuro centuplum.

Comment [c285]: Pg.302

Comment [c286]: Pg.303

Comment [c287]: Pg.304

## CAP. IV.

### *In honorum, et excellentiarum contemptu, et abdicatione.*

7 Praeterae non solum fuit perfectio eorum in despectu diuitiarum; sed etiam in contemptu excellentiarum, et dignitatum, et honorum mundanorum, vt patet in praedictis philosophis, sicut in Diogene, qui contempsit honores oblatos ab Alexandro: et in Socrate, qui gloriosa fugiebat, vt dictum est supra, et sic de aliis supra relatis. Vnde et laudes humanas contempserunt, et a frequentis, et tumultibus mundanis se sequestrauerunt, prout ait Hieron. lib. 2. contra Iouinianum aliquanto ante finem; quod philosophi multi reliquerunt frequentias **vrbiu**, et hortulos suburbanos incoluerunt, vbi aer irriguus, et arborum comae, et susurrus auium, fontis spectaculum, riuus immurmurans, et sic de aliis. Et sequitur; nam Pythagorei huiusmodi frequentias declinantes, in solitudine, et in desertis locis habitare consueuerunt. Planum ergo ex dictis est, quod praedicta contempserunt, quae merito sunt contemnenda, sicut Boetius, a philosophia instructus, eleganter ostendit 2. de consolat. cap. 6. et 7. vnde ait, Quid de dignitatibus, potentiaque disseram, quae, si in improbissimum quemque ceciderint; non modo non efficiunt dignum, sed produnt potius, et ostentant indignos. Proinde concludendum: nihil in illis esse expetendum, nihil natiuae bonitatis inesse, quae nec se bonis semper adiungunt, et bonos, quibus fuerint adiunctae, non efficiunt. Quod argumentum vir doctissimus ibi prosequitur prolixè. Vnde et laudes humanas pro nihilo reputabant, et **laudari** pernitiosius ducebant, et reputabant, quam vituperari, sicut recitat Agell. lib. 19. c. 3. Turpius, inquit, dicebat Fauorinus philosophus exigue atque frigide laudari, quam insectanter, et grauiter vituperari. Quoniam, inquit, qui maledicit et vituperat, quanto id acerbius facit, tam maxima mole pro iniquo, et inimico habetur, et plerumque propterea fidem non capit. Sed qui infoecunde, atque ieiune laudat, destituit a causa videtur, et amicus quidem creditur eius, quem laudare vult, sed nihil posse reperiri, quod iure laudet.

Comment [c288]: Pg.305

Comment [c289]: Pg.306

## CAP. V.

### *In passionum internarum edomatione.*

7 Et non solum fuit perfectio philosophorum in praedictis, scilicet in cohibendo concupiscentiam carnis, et oculorum, et superbiam vitae, sicut possunt cohiberi absque diuina gratia; sed fuit eorum **perfectio** in edomatione passionum interiorum, et redactione sub lege rationis, et ordinatione, semper subintelligendo, sicut supradictum est, quomodo possunt cohiberi sine diuina gratia. Vt enim habitum est supra, animus sapientis non cedit passionibus, secundum sententiam sapientum Stoicorum, non quod omnino auferantur, sed quod ordinate moderentur. Et de hoc Agell. pulchre narrat lib. 14. c. 12. Herodes, inquit, Atticus consularis, lacessitus a quodam Stoico, tamquam minus sapienter, et minus viriliter dolorem ferret ex morte pueri, quem amabat, disseruit, quod nullus homo, qui secundum naturam sentiret, et saperet, quatuor affectionibus aegritudinis, cupiditatis, timoris, irae, voluptatis carere, et vacere omnino posset. Atque si posset, etiam obniti, vt istis careret, non ex re illud esse melius, quoniam langueret animus et torperet. Dicebat enim, sensus istos, motusque animi, qui cum **immoderatiores** sunt, vitia fiunt, innexos implicatosque esse vigoribus quibusdam mentium et alacritatibus. Ac propterea, si omnino omnes imperitius conuellamus, periculum esse, ne, eis adhaerentes, bonas

Comment [c290]: Pg.307

Comment [c291]: Pg.308



quoque et vtilis animi indoles amittamus. Moderandos ergo scite, et considerate purgandos dicebat, vsusque est fabula quadam, quod homo Thracius rudis, ex vltima Barbaria ruris colendi insolens in terras cultiores venit, emitque agrum aptum ad fructus: et cum videret vicinum amputare superflua ex vitibus, et arboribus, quaesiissetque a vicino, cur tantam ligni, atque frondium caedem facerat? vt ager, inquit ille, mundus purusque fieret, eiusque arbor atque vitis foecundior. Ille, tamquam adeptus rei rusticae disciplinam, falcem, ac securim capit, omnesque vites suas, ac oleas detruncat, conuulsisque omnibus frutetis, agrum purificat, putandi imitatione falsa audacia, fiduciamque edoctus. Sic, inquit Apathiae, seu tranquillitatis sectatores, qui videri se esse tranquillos, intrepidus, et immobiles volunt, dum nihil cupiunt, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent, omnibus vehementioribus animi officiis amputatis, in torpore ignauiae, et quasi eneruatae vitae consenescent. Haec ille.

Comment [c292]: Pg.309

8 His concordat quod Hieron. ep. 88. ait, affectus et perturbationes, quamdiu in tabernaculo huius corporis habitamus, et fragili carne circumdamur, moderari, et regere possumus, amputare non possumus. Et ibi de philosophorum sententia est, moderatas esse virtutes, excedentes medium atque mensuram inter vitia reputari. Vnde et vnus de septem sapientibus ait. *Ne quid nimis*. Et de his Seneca bene ep. 74. vbi quaerit. Nonne affligitur sapiens liberorum amissione, aut amicorum? et respondet: eodem animo fert liberorum mortem, quo expectat suam. Non magis hanc timet, quam illam dolet; virtus enim conscientia constat. Omnia opera eius cum ipsa concordant, et congruunt. Haec concordia perit, si animus, quem excelsum oportet esse, luctu, aut desiderio submittitur. Inhonesta est omnis trepidatio et sollicitudo etc. Et quaerit vlterius. Quid ergo? non aliquid perturbationi simile patietur? non et color eius mutabitur, et vultus agitabitur, et artus refrigescunt? fateor. Sed manebit illi persuasio eadem, nihil eorum malum esse, nec dignum, ad quod mens sana deficiat. Haec ille. et concordat cum sententia Stoicorum, de qua supra; vbi dictum est de differentia inter animum sapientis, et animum stulti in ferendis passionibus. De hac differentia prosequitur Aug. bene 9. de ciuit. c. 4. vbi recitat praedictam sententiam, secundum quod animus stulti cedit passionibus, sapientis autem non. Vnde Seneca vbi supra ponit exemplum, quod quemadmodum in corporibus futuri languoris signa praecurrunt, quaedam enim segnities neruis inest, et sine vllo labore lassitudo, et oscitatio, et horror, membra percurrunt; sic infirmus animus, multo ante quam opprimatur, malis quatitur, praesumit illa, et ante tempus cadit. Non autem sic de animo sapientis.

Comment [c293]: Pg.310

Comment [c294]: Pg.311

## CAP. VI.

### *De conuersationis, et gestus maturitate.*

9 De matura grauitate philosophorum in exteriori gestu, patet ex dictis. Socrates enim eodem rigore vultus semper se ostendit, vt dictum est supra. Platonem commotum non vidit discipulus ab eo nutritus, vt habitum est similiter supra. Homo enim pacatus et tranquillus, moderatis passionibus, moderatur gestus exteriores. Species corporis simulachrum est mentis, figuraque probitatis, vel improbitatis, sicut ait Ambros. loquens de B. Virg. lib. 2. de virginitate. Sicut ergo vera philosophia, quae est expultrix vitiorum, et magistra morum, vt habitum est supra, modificat hominem interiorem; sic veneranda grauitate maturat exteriorem. Vt enim recitatur in Policrato lib. 8. c. 12. Hoc philosophia praecipit obseruari, vt quidque in omnibus fugiat notam, indicens actioni rectitudinem, ne sit reprehensibilis; sermoni cautelam, ne sit contemptibilis; habitui modestiam, ne sit notabilis. Vbi et arguit pompaticae, curiose, et superflue

Comment [c295]: Pg.312

se ornantes cultioribus vestibus, et ad speculum se ornantes, recitans dictum Flauiani. Quid, inquit, viro cum speculo, nisi in illo casu, quo Platonem illud gestasse Flauianus testis est, vt videret in eo, quantum peregrinatio, studii feruor, acumen temporis, processus aetatis de naturali statu mutasset faciei indicio, quae bona, et mala fidelissime protestatur. Hoc quidem egit, vt seruaret, ac releuaret naturam, ne labore et diaeta consueta corrumperetur. Haec ille. Et ideo merito discipuli ex conuictu, et conuersatione cum philosophis profecerunt, vt dictum est supra, quod plus traxit turba sapientum ex moribus Socratis, quam ex verbis, prout ait Seneca ep. 6.

Comment [c296]: Pg.313

## CAP. VII.

### *De eorumdem sedula studiositate.*

10 De sedula studiositate philosophorum, et incessabili, atque infatigabili labore, similiter patet ex dictis; de qua Valer. lib. 8. c. 7. affert exemplum de multis, de Demosthene, Pythagora, Democrito, Platone, Carneade, de quibus dictum est supra. Similiter exemplificat ibi de Anaxagora, qui magno studio dicitur flagrasse; qui cum ex diuturna peregrinatione patriam repetiisset, possessionesque desertas vidisset: non essem, inquit, ego saluus, nisi istae periissent. Nam si praediorum potius, quam ingenii culturae vacasset, dominus rei familiaris inter penates remansisset; non tantus ad eos Anaxagoras rediisset.

Comment [c297]: Pg.314

Ibidem exemplificat de studio Archimedis: captis enim Syracusis, Marcellus machinationibus illius philosophi diu, ac multum victoriam inhibitam senserat: eximia tamen prudentia hominis delectatus, edixit, vt capiti illius parceretur, pene tantum gloriae in Archimede seruato, quantum in oppressis Syracusis reponens. At is dum, animo, et oculis in terram defixis, formas describit, miles, qui praedandi gratia domum irruerat, stricto super caput gladio, quisnam esset? interrogabat, et propter nimiam curiositatem inuestigandi veri, quod quaerebat, nomen suum indicare non potuit; sed protracto manibus puluere, noli, obsecro, inquit, istum circulum disturbare, ac perinde, quasi negligens imperii victoris, obruncatus, sanguine suo artis suae lineamenta confudit. Quo accidit vt propter idem studium, modo donaretur vita, modo spoliaretur. Haec ille.

Comment [c298]: Pg.315

11 Ibidem exemplificat de Isocrate, qui, quartum et octogesimum annum agens, librum nobilissimum *Panathinaicos* composuit; ex quo apparet, senescentibus membris eruditorum intus animos industriae beneficio florem iuuentae retinere: neque hoc stylo terminos vitae suae clausit; namque admirationis eius fructum quinquennio percepit. Ibidem exemplificat de Chrysippo; qui octogesimum annum agens, coeptum ante quadragesimum exactissimae subtilitatis volumen reliquit. Similiter de Cleante; ipsum adolescentem quaestu extrahendae aquae nocturno tempore inopiam sustentantem, diurno Chrysippi praeceptis percipiendis vacantem, eundemque ad vndecentesimum annum attenta cura auditores erudientem, frequentantem digne collaudat. Duplici, enim, inquit, labore vnus saeculi spatium occupauit, incertum reddendo discipulus ne, an praeceptor esset laudabilior. Idem narrat de Sophocle, qui prope centesimum annum attigit, et sub ipsum transitum ad mortem composuit illam nobilem fabulam de Oedipode Coloneo, qua omnium eiusdem studii poetarum praeripere gloriam potuit. Affert etiam exemplum de Simonide Poeta; qui octogesimo anno, et docuisse se carmina, et in eorum certamen descendisse gloriatur. Aliud simile habet de Solone, de quo dictum est supra.

Comment [c299]: Pg.316

12 Patet ergo feruor studii philosophorum praedictorum tam in inquirendo veritatem, tam in volumina componendo, quam in docendo alios. Vnde de studio istorum et aliorum narrat

Hieron. ep. 34. vbi ait, quod Themistocles cum expletis centum septem annis, moreretur, fertur dixisse, se dolere, quod tunc egrederetur de vita, quando sapere coepisset. Ibidem dicitur, quod Plato nonagesimo primo anno scribens mortuus est, et quod Socrates nonaginta nouem annos in docendi et scribendi dolore laboreque compleuit: quod Sophocles, cum propter nimiam, senectutem, et rei familiaris negligentiam a filiis argueretur, edidisse fabulam, quam nuper scripserat, recitauit iudicibus, et tantum specimen in aetate iam fracta dedit, vt seueritatem tribunalium in fauorem theatri conuerteret. Ibidem. Cato Censorinus dissertissimus, et senex Graecas linguas, imo litteras discere non erubuit, nec desperauit. Ibidem. Homerus refert, quod de lingua Nestoris iam vetuli, et pene decrepiti, dulcior melle oratio fluxerit.

Comment [c300]: Pg.317

13 Et de quibusdam horum, et eorum studiis recitat Tull. de senect. c. 2. Sicut de Socrate, de Sophocle, de Solone, de quo ait ibi, Solonem versibus gloriantem vidimus, qui quotidie aliquid addiscentem dixit se senem fieri. Deinde de semetipso ait, vt et ego feci, qui Graecas litteras senex didici, quas quidem sic audivis arripui, quasi diuturnam sitim explorare cupiens. De studio Platonis recitat Valerius, vbi supra, quod altero et octogesimo anno decedens sub capite Sophronis numeros habuisse fertur: sic nec extrema eius quidem hora agitatione studii vacua fuit.

Comment [c301]: Pg.318

De Philosophis vero et studiis eorum Hugo. Didascal. l. 3. c. 2. vbi numerat multos; inter quos, ait, quod Dialectica est inuenta a Parmenide; qui, ciuitates, et coetus hominum fugiens, in rupe consedit, sicque Dialecticam excogitauit. Vnde et *Rupes Parmenidis* appellata est vbi de studio Platonis, et aliorum philosophorum, et inuentoribus singularium artium egregie disserit.

14 Item studiosi fuerunt philosophi diligenti cura in tractatibus suis, quos compilauerunt, ne quid in eis vitiosum, vel diminutum, vel superfluum inueniretur, atque exinde durarent, et perseuerarent in auctoritate sua. Vnde dictum est supra de Virgilio, quod more vsi lambentis foetum suum, et sic quasi effigientis, dicta sua ruminabat, retractabat, ac formabat ad plenum. Et de hoc similiter Valer. lib. 3. c. 7. de Euripide, respondente Alcistidi Tragico poetae; apud quem, cum quereretur, quod eo triduo non vltra tres versus, maximo impenso labore, deducere potuisset, atque is se centum facile scripsisse gloriaretur. Sed hoc, inquit ille, interest, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient: sicque profecto euenit. Alterius enim foecundi cursus scripta intra primas memoriae metas corruerunt, alterius cunctante stylo elucubratum opus per omne aevi tempus plenis gloriae velis feretur. Et huius exemplum eidentissimum habemus in B. August. qui scripta sua studiose composuit, et humiliter, ac diligenter in iis retractauit, quod retractandum videbatur. Et idem ait Agell. de Virgilio lib. 17. c. x. quod cum idem Virgilius morbo oppressus aduentare mortem videret, petiuit, orauitque impense a suis amicissimis, vt Aeneida, quam nondum satis elimauisset, abolerent; in iis autem quae videntur retractari et corrigi debere, is maxime locus est, qui de monte Aetna factus est.

Comment [c302]: Pg.319

Comment [c303]: Pg.320

15 Et non solum sic erant studiosi philosophi in praedictis, sed erant solliciti in cognitione sui ipsorum, atque in discussione suorum dictorum, vt dictum est de Pythagoreis; quorum mos erat vesperi quidquid quotidie dixerant, egerantque, commemorari, vt ait Tull. de senect. Et de hoc Seneca bene lib. 3. de ira c. 36. vbi ait, quod animus quotidie ad rationem reddendam est euocandus. Faciebat hoc Sextius, et consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogabat animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira et moderator erit, quae sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam tranquillius, altus, ac liber? Et sequitur. Vtor, inquit Seneca, hac potestate, et quotidie apud me causam dico. Cum sublatum est a conspectu lumen, et conticuit vxor, moris iam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta, ac dicta mea

Comment [c304]: Pg.321

remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam? cum possim dicere: vide ne amplius istud facias, nunc tibi ignosco. Haec ille. Bonum ergo studium, et salubre sic discutere dicta, et facta, vnde et philosophia dicta est sui ipsius cognitio, prout ait Isaac de definitionibus, et Alfarabius ibidem.

## CAP. VIII.

Comment [c305]: Pg.322

### *De sermonum moderatione.*

16 De perfectione vero philosophorum in moderatione sermonum, siue verborum, satis patet ex dictis: quia philosophus non minus probatur tacendo, quam loquendo, vt dictum est supra. Confert philosophia philosopho, vt sciat confabulari cum homine, vt ait Aristippus, loquens de se, prout dicitur in libro de Deo Socratis. Qualiter autem philosophia docet loqui in sermonibus communibus, considerando tempus loquendi, et inter quas personas loquendum est, et sermones ipsos, qui sunt praeferendi, eleganter inuestigatur in lib. 7. Saturnal. c. 1. et seq. vbi inquiritur, an philosophus debet interesse conuiuantibus, et conuiuiis? vbi arguitur, quod non: quia ipsa est tanquam censoria quaedam, et vt verecunda materfamilias penetralibus suis **continetur**, nec miscet se libero; id est Deo vini, siue vino, cui et tumultus familiares sunt, cum etiam ipsa huius verecundiae sit, vt strepitum non modo verborum, sed nec cogitationum in sacarium suae quietis admittat. Sed ad contrarium arguitur conuenienter, quia aliter chorus aliarum matronarum, scilicet, modestiae, sobrietatis, et pietatis a conuiuiis exulabit. Item absit, inquit, vt philosophia, quae in scholis sollicite tractat de officiis conuiualibus, ipsa conuiuare formidet, tanquam non possit rebus asserere, quae solet verbis docere, aut nesciat seruare modum, cuius in omnibus humanae vitae actibus terminos ipsa constituit. Eius enim disciplina est, rerum omnium moderationem docere.

Comment [c306]: Pg. 323

## CAP. IX.

### *De discretione philosophorum in conuiuiis.*

17 Deinde Macrobius ibidem prosequitur, qualiter **decet loqui conuiuiis**. Primum enim, inquit, scio philosophiam obseruaturam, vt secum aestimet praesentium ingenia conuiuorum. Et si plures peritos, vel saltem amatores sui conuiuii societate repererit, sermonem de se patietur agitari. Si vero plures ab institutione disciplinae huius alieni sunt prudentibus, qui pauciores intererunt, dissimulationem sui sanciet, et patietur loquacitatem maiori parti amiciosem sociare, ne rara nobilitas peritorum a plebe tumultuosiore turbetur. Et ponit exemplum, quod sicut paucae mutae litterae inter multas vocales, et semiuocales dispersae in societatem vocis facile mansuescunt, ita rariores imperiti gaudentes consortio peritorum, aut consonant, si qua possunt, aut rerum talium capiuntur auditu. Haec ille: et sequitur. Prima ergo aestimatio erit obseruare conuiuas; deinde, vbi sibi locum patere videbit, non de ipsa profunditatis suae inter pocula secretis loquetur, nec **nodosas, et anxias, sed vtilis quidem, facilesque quaestiones mouebit**. Et post: si non erunt muta conuiuia, cur vbi sermo permittitur inhonestus, honestus prohibetur? maxime cum non minus, quam dulcedo vini hilarent verba conuiuium. Nihil, inquit inferius, tam cognatum sapientiae, quam locis et temporibus aptare sermones personarum, quae aderunt,

Comment [c307]: Pg.324

Comment [c308]: Pg.325

aestimatione notata; alios enim relata incitarunt exempla virtutum, alios beneficiorum, nonnullos modestiae, vt et qui aliter agebant, saepe, auditis talibus, ad emendationem venirent. Sic autem vitiis irretitos corripet, si et hoc exegerit conuiuuii loquendi ordo, feriet philosophia non sentientes, etenim sic aliquando reprehendet, et reprehensus hilaretur. Haec ille. Et ideo ait ibidem, quod in conuiuio Agathonis, quia habuit Socratem, Phaedros, Pausanias, et Eresymachos, nullum verbum nisi philosophicum fuit. Sed conuiuuium Alcioris, vel Didonis solis apta deliciis, quia haec habuit Ioppam, illa Poliphemum, cythara canentes, non habuit talia colloquia. Qualiter autem loquendum, et quae interroganda, et a quibus, eleganter ibi prosequitur. Illic enim debet quis interrogare, quae sunt responsioni facilia, et quae scitalium didicisse. Gaudet enim vnusquisque cum ad suam prouocatur doctrinam. Debet enim interrogare milites de factis militaribus, et fortibus, a religiosis de caeremoniis suis, a peregrinis de itineribus, a senibus de iis, quae ad eos pertinent; huic enim aetati est loquacitas familiarior: et sic de aliis, prout ibi prosequitur.

Comment [c309]: Pg. 326

18 Huic concordat, quod dicitur in Policrato lib. 8. cap. 9. vbi ait, quod philosophia, quae est vnicum munus Deorum, et disciplina disciplinarum, honoranda est antiloquio; ciuile quoque est, et sacris litteris consentaneum, aut omnino silere in mensa, vt audias ad profectum; aut vnde proficiant alii, aut sine culpa, laentur, doctum proferre sermonem. Sunt autem nimis tristia, et fere ciuilitatis ignara, vbi, citra voluptatem audiendi, solus venter impletur, aut vbi clamore anserino, et ineptis fabulis conuiuia perstrepunt. Haec ille. Sic enim loqui docet philosophia, quia sermones praecogitat, et examinat prius in pectore, quam profert in ore, vt ait Agell. l. 1. c. 18. Qui (inquit) sunt leues, et futiles, et importuni locutores, quique nulli rerum ponderi nixi, verbis humidis, et lapsantibus diffluunt; eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore. Linguam autem non debere liberam esse, nec vagam dicunt sapientes, sed vinculis de pectore, imo et de corde apertis moueri, et quasi gubernari. Sic enim videas quosdam scatere verbis sine vllo iudicii negotio, cum securitate multa, et profunda, vt loquentes plerumque videantur loqui sese nescire. Vlissem contra Homerus, virum sapienti facundia praeditum, vocem mittere, ait, non ex ore, sed ex pectore. Quo scilicet non ad sonum magis habitumque vocis, quam ad sententiarum penitus conceptarum altitudinem pertineret, petulantiaeque verborum coercendae vallum esse oppositum dentium luculente dixit; vt loquendi temeritas non tantum cordis custodia, atque vigilia cohibeatur, sed et quibusdam quasi excubiis in ore positis sepiatur. Et ibi bene de insolentia indisciplina multorum in loquendo, et recitat verba Tullii dicentis: Quid tam furiosum, quam vel verborum vel optimorum, vel ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia vel scientia? Et idem. Nunquam tacet, quem morbus loquendi tenet. Quapropter Hesiodus ait: linguam non vulgandam, sed recondendam esse, perinde vt thesaurum, eiusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta, et pauca, et modulata sit, ex quo profecto sumptum est, qui cum loqui non posset, tacere non poterat. Insigniter veteres philosophi hoc genus homines in verba proiectos, locutuleios et blaterones, et linguaces dixerunt. Et haec concordant cum sacra scriptura vbique Eccl. 20. *Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit.* Et in eodem. *Odibilis est, qui procax est ad loquendum.*

Comment [c310]: Pg.327

Comment [c311]: Pg.328

Comment [c312]: Pg.329

## CAP. X.

### *De philosophica curialitate.*

19 Ex praedictis patet vrbana curialitas philosophorum. Nec mirum, philosophia est totius ciuilitatis, et omnium agendorum magistra, eiusque est eorum, quae sunt in conuiuuiis exercenda, officia dispensare, prout in Policrato, vbi supra. Vnde et sapientes in conuiuuiis, in quibus exigitur curialitas, ordinauerunt prout narrat Agell. lib. 13. c. 11. recitans verba Varronis, qui disseruit de apto conuiuuarum numero. **Dicit** autem numerum conuiuuarum incipere oportere a Gratiarum numero, et progredi ad numerum Musarum, id est incipere a tribus, et consistere in nouem; cum paucissimi conuiuiae sunt, non pauciores sint, quam tres, complurimi, non plures quam nouem. Nam multos esse non conuenit, quod turba est plerumque turbulenta, vt Romae quidem constat, et etiam Athenis. Nusquam autem plures cubabant. Deinde ipsum conuiuuium constat ex quatuor rebus, scilicet si belli, id est pulchri, homunculi collecti, si locus laetus, si tempus laetum, si apparatus non neglectus. Non loquaces autem, inquit, conuiuas, nec mutos legere oportet, quia eloquentia in foro, et apud subsellia; silentium vero in cubiculo, non in conuiuio esse debet. Sermones igitur illius temporis habendos censet non de rebus anxiis aut tortuosis, sed iucundos atque inuitabiles, et cum quadam illecebra, et voluptate vtiles, ex quibus ingenium venustius **fiat**, et amoenius. Haec ille. Vrbane ergo et curialiter sua instituebant conuiuia philosophi. Vnde et multum detestabantur incurialitatem, vt patet ex facto illius philosophi, de quo narrat Innocentius libro 2. de conditione humanae miseriae cap. 39. vbi ait, quod cum quidam philosophus in vili habitu non posset ingredi palatium cuiusdam Principis, induit habitum pulchrum, et statim admissus est. Qui accedens ad Principem caepit osculari pallium suum mirabiliter, et venerabiliter; quod cum princeps miraretur, respondit, honorantem me honoro; quod enim virtus non potuit, vestis obtinuit. O vanitas vanitatum! plus defertur vestibus, quam virtutibus, plus venustati, quam honestati. Haec ille. Quia ergo philosophi virtutes pensabant, et honestatem, ideo curialiter vrbani erant in omnibus.

Comment [c313]: Pg.330

Comment [c314]: Pg.331

## CAP. XI.

### *De eorumdem perfectione in virtutibus politicis.*

20 De perfectione vero philosophorum in virtutibus politicis est manifestum ex praedictis. Ipsi enim fuerunt magistri virtutum secundum Tullium, vt dictum est supra; fuerunt enim prudentes in rebus distinguendis. Haec enim est philosophia, scilicet distinguere bona a malis, prout ait Seneca ep. 74.

21 Item fuerunt prudentes in rebus aestimandis, et pensandis: quia, vt ait Seneca epist. 69. nemo istorum, quos diuitiae, honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus. Quare ergo magnus vir, dum basi sua illum metiris? Magnus Pomilio licet in morte non constiterit. Colossus magnitudinem suam seruabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, quod neminem aestimemus ex aequo. Cum vero velis hominis **aestimationem** **inire**, et scire qualis sit, **inspice**; ponat patrimonium, et honores, et alia fortunae mendacia, corpus suum exuat, animum intueri qualis sit, quantusque alieno, an suo magnus etc. Et ibidem. Tunc homo est bonus, quando ratio explicata et recta est, et ad naturae suae voluntatem accommodata, haec vocatur virtus, hoc est

Comment [c316]: Pg.333



honestum, et vnicum hominis bonum. Haec ille. Solus certe sapiens scit aestimare res dicto modo prout ait Seneca ep. 89. Vix, inquit, sapienti notum est, quanti res quaeque taxanda sit.

22 Item quam prudentes fuerint in consiliis dandis, patet ex dictis; prudentis enim est bene consiliari, et prudens est consiliatiuus, ait Sapiens 6. Ethicor. et de hoc in communi loquio.

Item quam prudentes fuerint in regendis populis similiter patet ex antedictis, sicut de Themistocle supra, qui respondit, scire se de republica parua facere magnam. Et de hoc similiter in Communi loquio.

Comment [c317]: Pg.334

23 De temperantia vero philosophorum patet ex supradictis; cum enim ipsa sit rationis aduersus libidines, atque alios non rectos impetus animi firma, et moderata dominatio, prout ait Tull. 1. Rhetoric. c. 2. planum est qualiter istam habuerunt ex vita eorum, et ex dictis supra, prout haec virtus haberi potest absque gratia gratum faciente.

De iustitia insuper philosophorum, quae est habitus animi pro communi vtilitate seruatus, suam vnicuique tribuens dignitatem, prout ait Tull. 1. Rhetoric. vbi supra, satis lucidum est consideranti supradicta.

24 De fortitudine similiter eorum satis patet ex dictis. Cum enim fortitudo sit considerata periculorum susceptio, et laborum firma perpessio, vt ait Tull. vbi supra, satis manifestum est, quam virtuose se habuerunt in vtroque. Fuerunt enim fortes in agendis, quod patet ex studiis eorum. Quam vero fortes fuerunt in sustinendis periculis, satis dictum est supra. Similiter quam fortes fuerunt in sustinendis contumeliis verborum, apparet ex antedictis. Vnde et de Aristide narrat Seneca de consolat. ad Heluiam c. 13. quod ducebatur Athenis ad supplicium Aristides, cui quisquis occurrerat, deiiciebat oculos, et ingemiscebat, non tanquam in hominem iustum, sed tanquam in ipsam iustitiam animaduertetur. Inuentus est tamen, qui faciem eius inspueret; poterat ob hoc moleste ferre, quod sciebat neminem id ausurum puri oris. At ille abstersit faciem, et subridens ait comitanti se Magistratui; admone istum, ne postea tam improbe oscitet. Hoc fuit contumeliae ipsi contumeliam facere. Haec ille.

Comment [c318]: Pg.335

## CAP. XII.

Comment [c319]: Pg.336

### *De illorum patientia in exilii relegatione.*

25 Item quam fortes fuerunt in sustinendis exiliis et peregrinationibus narrat Tull. lib. 5. Tusc. ante finem. In peregrinatione nobilissimi philosophi aetates suas consumpserunt. Xenocrates, Crantor, Aristoteles, Theophrastus, Carneades, et alii innumerabiles, qui semel egressi, numquam domum redierunt. Ad omnem rationem Teucris vox accomodari potest. *patria est, vbicunq; bene est.* Vnde Socrates respondit, se esse *mundanum*, id est totius mundi incolam, et ciuem. Et T. Albutius animo aequissimo Athenis exul philosophatus est. Cui tamen illud ipsum non accidisset, si, in republica quiescens, legibus Epicuri paruisset. Similiter Demaratus, Tarquinii regis pater, fugit tyrannum Cypsellum, et Corintho fortunas suas constituit, ac liberos procreauit. Non enim stulte anteposuit exilii libertatem domesticae seruituti. Et ibi bene de talibus exulibus.

Comment [c320]: Pg.337

26 Deferebant enim bona sua secum, id est, virtutes, et nullum exilium erat eis graue, prout ait Seneca de consolat. ad Heluiam c. 9. Humile tugurium virtutes recipit, ideo omnibus templis formosius erit, cum illic iustitia conspecta fuerit, cum continentia, pietas, prudentia, aliaeque virtutes. Nullus angustus est locus, qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit, nullum graue exilium, in quo licet cum hoc ire comitatu. Brutus in eo libro, quem de virtute



composuit, ait se Marcellum vidisse Mitylenis exulantem, et quantum hominis natura modo pateretur, beatissime uiuentem, neque vnquam cupidiorum bonarum artium, quam illo tempore. Et adiecit; visum sibi se magis in exilium ire, qui sine illo **rediturus** esset, quam illum in exilio relinquere, senatumque pro illo publicis precibus rogasse, ne exules essent, si sine illo fuissent. Patria enim, inquit Brutus, carere non est miserum, quia forti, et sapienti omne solum patria est. Et ibi de hoc bene.

Comment [c321]: Pg.338

### CAP. XIII.

#### *De illorum patientia in sustinendis iniuriis.*

27 Similiter quam fortes fuerint in sustinendis iniuriis corporum, et tormentis, satis dictum est. Vnde et Tull. narrat, vbi supra, de patientia sapientum in sustinentia poenarum corporalium, sicut coecitatis et similibus. Ibique ait, quod Diodorus Stoicus multos annos coecus vixit. Is vero cum in philosophia multo magis assidue, quam antea versaretur, et cum fidibus, Pythagoreorum more, vteretur, cumque ei libri per noctes, et dies legerentur, Geometriae munus tuebatur, verbis praecipiens **discentibus**, vnde, quo vnquamque lineam scriberent. Ibidem. Aesclepiadem ferunt, non ignobilem Eretricum philosophum, respondisse quaerenti, quid ei attulisset caecitas? vt puero, inquit, vno esset comitator. Ibidem, de Democrito priuato luminibus, de quo supra, et de consimilibus: quia ibidem, vt dicitur: Sapiens semper beatus, etiamsi non adhibeatur aspectus. Vnde et ibi narrat, quam patienter sustinebant mortem philosophi. Theodoricus enim Lisimaco mortem minitanti: magnum, inquit, effecisti, si cantaridis vim consecutus es; quod ait deridendo. De mortem patienter sustinentibus supradictum est.

Comment [c322]: Pg.339

28 Quam prouide, et quam animose, quasi semper parati ad agendum vel sustinendum, vtebantur virtutibus suis, narrat Seneca ep. 59. ponens exemplum de Sextio, de quo supra. Sextium enim, inquit, lego virum acrem, Graecis verbis, **Romanis** moribus philosophantem. Mouit me imago ab illo posita: ire quadrato agmine exercitum, vbi hostis ab omni parte suspectus est, pugnae paratum. Idem, inquit, sapiens facere debet, omnes virtutes suas vndique expandat, et vbi cumque infesti aliquid oritur, illic praesidia sint, et ad nutum regentis sine tumultu respondeant. Et hoc nobis magis necessarium ait ibidem: quia illi saepe hostem timere sine causa, tutissimumque illis iter, quod saepe suspectissimum erat. Sapiens autem ad omnem incursum munitus, et interritus contra pericula ibit, et inter illa. Haec ille. Ob virtutum ergo eminentiam et ob vtendi industriam fuerunt fortes in praedictis. Vnde Agell. lib. 13. c. 26. vtens verbis Panetii philosophi ait: oportet hominem ad cauenda et declinanda pericula perinde esse prompto animo, atque semper intento, ad modum Athletarum, qui Pancratiastae vocantur. Nam sicut illi ad **certandum** vocati, proiectis alte brachiis consistunt, caputque et os manibus appositis, quasi vallum praemuniunt, membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est, vel ad tuendos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata: ita animus atque mens viri prudentis aduersus vim, et petulantias iniuriarum debet esse erecta, ardua, septa, solida, expedita, nusquam aciem suam flectens, consilia, cogitationesque contra fortunae verbera, contraque iniquorum insidias, quasi brachia, et manus praetendens, ne qua re aduersa, et repentina incursio imparatis improtectisque nobis oboriatur. Haec ille. Et idem Agell. lib. 12. c. 5. ait, quod fortitudo vera, et proba, vt dixerunt maiores, est scientia rerum tolerandarum, non excedens modum per immoderatam audaciam, nec deficiens per poenae insensibilitatem, vt ibi exemplificat de

Comment [c323]: Pg.340

Comment [c324]: Pg.341

quodam in ludo Caesaris gladiatore; qui cum vulnera eius a medicis exsecabantur, ridere solitus erat.

In praedictis enim perfectionibus, quae numeratae sunt, ut patet consideranti, honestas vitae, et etiam veritas, dum sint cum diuina gratia, et recta intentione ordinatae, consistit.

Comment [c325]: Pg.342

#### CAP. XIV.

##### *De virtuosa, et laudabili otiositate.*

29 Et non solum fuit perfectio philosophica in praedictis contemnendo mundalia, operando virtuosa, sustinendo terribilia, et sic de aliis; sed etiam fuit eorum perfectio otiano virtuosa otiositate, et vacando vtili vacatione: quia ut ait Valer. lib. 8. c. 8. Otium, quod industriae, et studio maxime contrarium videtur, praecipue subnecti debet, non quo euanescit virtus, sed quo recreatur: alterum enim etiam inertibus vitandum, alterum quoque strenuis interdum appetendum. Illis ne prope vitam inertem exigant, his vero ut tempestiua laboris intermissione, ad laborandum fiant vegetiores. Et exemplificat ibi de Scipione, et Laelio, qui actuosae vitae iter aequali gradu exequabantur, et tamen animi remissioni communiter acquiescebant, scilicet sic virtuose otiano: vnde et vagas conchulas, et calculos solebant ludentes in Caietae et Laurensi littoribus lectitasse. Similiter exemplificat de Scaeuola, qui pilam luisse traditur; ad hoc enim diuerticulum animum suum forensibus ministeriis fatigatum, transferre solebat. Aleae quoque et calculis interdum vacasse dicitur, cum bene ac diu iura ciuium, et caeremonias Deorum ordinasset. Ut enim in rebus seriis Scaeuolam, ita in scurrilibus lusibus hominem agebat; quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit.

Comment [c326]: Pg.343

Similiter exemplificat de Socrate, cui nulla pars philosophiae obscura fuit, idem tamen non erubuit, cum interposita arundine cruribus suis cum paruis filiis ludens, ab Alcibiade risus est. Sic itaque philosophi vacabant, et talibus solatiis se recreabant, ut ad opera virtuosa essent vegetiores. Ut enim ait Seneca lib. de breuitate vitae ante finem. Otium philosophorum maius fuit, quam labor multorum, ut ibi exemplificat, dicens, quod tria sunt genera vitae; Vnum voluptati vacat, alterum contemplationi, tertium actioni. Naturae enim, inquit, utrumque me facere iubet, et agere, et contemplationi vacare. Et ista concordant dicto B. Augustini de vera relig. c. 5. vbi ait, quod est duplex otium, scilicet desidia et virtutis. Et de hoc bene Hieron. l. 1. cont. Iouin. c. 23. vbi ait. Sapiens numquam solus esse potest, habet secum omnes, quique vnquam fuerunt boni, et animum liberum, quocumque vult, transfert, et quod corpore non potest, cogitatione complectitur; et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo: nunquam minus solus erit, quam cum solus fuerit. Idem habet Ambros. lib. 3. de offic. post princ. vbi ait quod Scipio non sciuit esse, cum solus esset. Imo Moyses cum solus esset, clamabat, cum otiosus staret, precabatur; vnde in silentio precabatur, in otio operabatur. Exod. 14. *Quid clamas ad me? etc.* Consimiliter de Scipione loquitur Tull. lib. 3. de offic.

Comment [c327]: Pg.344

Qualiter autem debet homo vacare in otio praedicto, Seneca bene epist. 71. vbi ait: Absconde te in otio, et ipsum otium absconde. Et sequitur: Otio gloriari iners abiectio est. Et post: optimum est non iactare otium suum, iactandi genus nimis latere, et a conspectu hominum secedere, et demum cum secesseris, non est agendum hoc, ut de te homines loquantur; sed ut recte de te loquaris: quod homines de aliis libentissime faciunt, de te apud te male existima, et illud maxime tracta, quod in te esse firmissimum senties. Nota habet quisque corporis sui vitia. Quid autem in otio facio, vlcus meum curo. Vbi egregie de praedicto otio et de agendis in tali

Comment [c328]: Pg.345

Comment [c329]: Pg.346

otio. Quia otians sic, debet secum loqui, suas infirmitates meditari, suas passiones curare, et quia otium sine litteris mors est, vt idem ait epist. 86. sedulo studio debet quis otians vacare, et insistere.

## SEXTA PARS.

De variis sectis philosophorum.

### CAP. I.

*De praecipuis sectis in communi.*

1 Habitis supradictis de vita philosophorum illustrium, ac dictis in communi, sequitur de sectis philosophorum. Fuerunt enim tres famosae, scilicet Peripateticorum, Stoicorum, et Epicureorum. Primam condidit Aristoteles, vt dictum est, ait enim Huguutio *peridem* est quod *circum et pathi* quod *deambulatio*, quasi ergo circumeuntes, vel deambulantes dicebantur; quia Aristoteles eorum auctor, deambulans disputare solitus erat; vel quia illi perambulabant de schola in scholam disputantes.

Comment [c330]: Pg.347

2 De Stoicis ait autem idem Huguutio, quod *Stoica* Graece, Latine dicitur *porticus*, et fuit Athenis, in qua picta erant gesta, et scripta erant dicta sapientum, et virorum fortium. In hac sapientes philosophabantur, et ideo Stoici sunt dicti.

3 De Epicureis ait idem, quod fuit quoddam genus philosophorum sic dictorum, quia curam super cutem corporis habebant; dicebant enim voluptatem summum bonum, ignorantes aliam esse voluptatem: dicti ita ab *Epicuro*, quod est *supra* et *cura*. Haec ille. Vt enim est in lib. 7. Policrati cap. 8. in fine. Stoicus, vt rerum contemptum doceat, in mortis meditatione versatur; Peripateticus in acquisitione veri *volutatur*; in voluptatibus Epicurus. Et licet ad vnum tendant, varias sententias, quasi vias beatitudinis, suis auditoribus aperiunt. Haec ille. De his autem Aug. ep. 56. ad Dioscorum, vbi loquitur de philosophis diuersis; quorum quidam ponunt in animo summum bonum; et inter hos, qui ita sentiunt, Stoici praeualuerunt, qui tamen in naturalibus corporis omnia bona esse arbitrantur, magis a carne, quam a corpore animum auertere potuerunt. Inter eos autem, qui fruendum Deo, a quo nos et omnia facta sunt, atque summum bonum nostrum esse dicunt, eminuerunt Platonici, idemque Academici, qui et Platonici, quod docet auditorum successio. Inter eos autem, qui in corpore summum bonum constituerunt Epicuri, qui et carnalium seditiosorum turbas concitant, et apud indoctam multitudinem excellentiori auctoritate vigerunt. Et de his eisdem sectis Seneca ep. 92. Aspice, inquit, *quam* dissimilia inter se omnium studia sint. Et sequitur. Nam modo Stoicum faciunt virtutem solam probantem, et voluptatem refugientem, modo Epicurum laudantem statum quietae ciuitatis, et inter conuiuia cantusque vitam exigentis; modo Peripateticum bonorum genera inducentem, modo Academicum omnia incerta dicentem. Haec ille. Ex quibus patent praedictorum opiniones. Et de his Agell. lib. 9. c. 5. similiter recitans sententias diuersorum, vbi ait. Epicurus summum bonum voluptatem putauit. Antisthenes Socraticus summum malum, Speusippus atque vetus Academia voluptatem et dolorem duo mala esse dicunt, opposita inter sese, bonum autem esse quod vtriusque medium foret. Zeno autem asseruit, voluptatem esse quid indifferens, siue neutrum.

Comment [c331]: Pg.348

Comment [c332]: Pg.349

## CAP. II.

Comment [c333]: Pg.350

### *De Peripateticis.*

4 De Peripateticis pauca leguntur in libris antiquis, nisi quae dicta sunt. Ipsi enim laudabant iram, quasi cotem fortitudinis: quia scilicet acuit fortitudinem, vt ait Tull. lib. 4. Tusc. ex quo patet, quod erant animosi ad disputandum, et deambulantes disputabant, vt dictum est. Vnde Aristoteles, eorum princeps et magister, ait, nullum ingenium esse magnum antequam habeat aliquid furiae admixtum, prout ait Seneca lib. de tranquillitate animi in fine. Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit. Non potest grande aliquid, et supra caeteros loqui, nisi mota mens.

## CAP. III.

Comment [c334]: Pg.351

### *De Stoicis, et de quibusdam eorum opinionibus.*

5 Stoicorum autem princeps fuit Zeno Crispus, vt ait Cic. lib. 2. Academ. quaest. et recitat August. 9. de Ciuit. c. 4. et vt ait Seneca de consol. ad Heluiam c. 12. quod a Zenone incepit rigida, ac virilis Stoicorum sapientia: et apud istos dolor dicebatur indifferens, non malum, et quod passiones non cadunt in sapientem, ita quod animus sapientis cedat eis, vt habitum est supra ab Agellio, et Augustino: et cum dolore congregiebantur, sicut exemplificatum est supra de quodam Stoico quasi pugnante cum dolore: hi enim inquirebant, vnde verba sunt dicta, quae ait Tull. lib. 1. de offic. c. 8. et eorum conclusio erat, summum bonum congruere naturae, vel conuenienter viuere naturae, prout ait idem libro 3. de offic. c. 1. et hi dicebant, sapientes amicos esse sapientibus, et nihil esse amabilius virtute, prout ait Tull. lib. 1. de natura Deorum ante finem, dicebantque omnes insipientes, aut stultos insanire, vt ait idem lib. 4. Tusc. cap. 24.

Comment [c335]: Pg.352

## CAP. IV.

### *De Academicis, eorumque doctrina, merito reprobanda.*

6 Academici fuerunt dicti ab *Academia*, loco suburbano et nemoroso Athenis, quem Plato studendi vsu, et discipulorum frequentia, morumque suorum celebritate insignem fecit: et ideo illum praetulit, eo quod ad incutiendum timorem, quo vitia reprimerentur, et agnita cognitione sui modestia reseruetur, maxime visus est idoneus, quia ex frequenti terrae motu saepe colliditur. Timor enim sicut modestiae cognatus est, ita familiaris est sapienti: quia scilicet **mentem** componit, et humiliat, prout ait Policrat. lib. 7. cap. 3. Hi, vitantes praecipitium falsitatis, fere de singulis dubitabant, quorum iuuat opinionem non modo, quod Heraclites, et Cicero tandem ad eos transierint, sed et alii plures, vt ibidem dicitur.

Comment [c336]: Pg.353

7 Sed quam ineptum et improbabile est fluctuare in singulis, et nullius rei habere certitudinem, et quam alienum est a fide, et scientia, satis sufficienter probatur ibidem, sicut dubitare, an contraria sint simul in eodem, cum hoc sit impossibile secundum idem.

Item, vt dicitur ibidem, homo praestat animalibus, eo quod viget ratione, et intelligentia; nam in sensibus et eorum operibus bestiae praecellunt, sicut lincx in visu, vultur, aut canis in odoratu, sus in auditu, simia in gustu, aranea in tactu. Si ergo ratione non discernit certitudinaliter, nec intellectu sapientiae, videtur esse brutalior **brutis** sic in sensu eminentibus. Item sicut notio dicitur ab eo, quod est notum, sic ratio ab eo, quod est ratum, denominatur Grammaticae. Ille ergo, cui nihil est ratum, certum, et firmum, videtur ratione carere. Item videtur, quod nihil confert philosophia, et studium ei, qui semper fluctuat opinionibus, et cui lux sapientiae, et veritatis nihil certum ostendit, et cui ratio nihil confert. Et contra hos Augustinus fecit illos libros, quos intitulauit *contra Academicos*: licet enim multa sint dubitabilia sapienti, et licet dubitare de singulis non sit inutile, ponendo scilicet rationes ad vtrumque partem; tamen fluctuare in omnibus videtur esse dissonum a ratione et philosophia, vdictum est.

Comment [c337]: Pg.354

## CAP. V.

Comment [c338]: Pg.355

### *De Epicureis, eorumque variis sententiis.*

8 Epicurei autem dicti sunt ab Epicuro, de quo ait Agell. l. 17. c. vlt. quod Epicurus Atheniensis, et Zeno Citiensis Philosophi celebres erant. Iste posuit voluptatem summum bonum esse, vt ait idem Agell. lib. 9. cap. 5. et hic posuit duo bona; corpus sine dolore, et animum sine turbatione, vt ait Seneca ep. 69. vbi subdit. Attalus Stoicus dicere solebat, malo in castris suis fortuna me habeat, quam in delitiis; torquar, sed fortiter, bene est: occidar, sed fortiter, bene est. Audi Epicurum, et dicet, dulce est, scilicet, bene est; tam seuerae ergo rei honeste nomen impositum est, quam molli.

9 Fuerunt tamen aliqui interpretantes opinionem Epicuri in melius, quod non intendebat de **voluptate carnalium**, quae est in carnalibus, sed de voluptate mentis. Vnde in Policrato, vbi supra c. 15. dicitur, quod, cum sint tres sectae philosophantium, quae et ipsae scinduntur in semitas multas, omnes tamen, etsi dissimiliter, laborant ad assequendum finem, quem statuerunt. Siquidem Epicurus, et totus grex sodalium eius vitam beatam asserit, quae tanta semper iucunditate laetatur, vt tristitiae, vel perturbationis non interueniat vel minimus motus. Vera quidem definitio est, et qua nihil potest esse rotundius. Ab ea tamen plebs, quae eum sequitur, deflexit in voluptates, reputans se earum vsu beatissimam esse futuram. Mihi autem persuaderi nequit, hoc aliquem hausisse de fonte Socratico, qui tantam morum docuit puritatem, vt a posteris creditus sit non humanum modo, sed diuinum spiritum habuisse. Sed quia facile est aure vel ore insipientium dicta optime deprauari, ad compendium immunditiae **tracta** sunt, quae virtutis esse debuerant instrumentum. Caro siquidem opinata est (nam hoc vtique cordatus homo non sentit) quod amore, iocisque nihil est iucundius, nihil suauius parasitica vita, aut eorum, qui epulantur quotidie splendide, qui vino aestuant, splendidis vtuntur vestibibus et cetera. Haec ille.

Comment [c339]: Pg.356

10 Qualitercumque autem fiat, nihil turpius opinione, ponente voluptatem summum esse bonum, et nihil magis alienum a philosophia, cum ipsa tetrum quid, et res turpis sit secundum philosophos, vt dictum est supra. Vnde et praeceptum Aristotelis vtillimum fuit, vt voluptates consideremus abeuntes, quas quidem sic ostendendo innuit: fessas enim poenitentiaeque plenas animis nostris subiicit, quominus cupide repetantur, vt ait Valer. lib. 8. c. 2. Et de ista opinione Seneca lib. de constantia sapientis cap. 15. vbi loquitur de opinione Stoycorum et Epicureorum, **Epicurum**, inquit, quem vos patronum inertiae vestrae assumitis, putatisque mollia, ac desidiosa praecipere, et ad voluptates ducentia. Raro, inquit, sapienti

Comment [c340]: Pg.357

Comment [c341]: Pg.358

fortuna interuenit. Et sequitur. Quod si Epicurus quoque, qui corpori plurimum indulsit, aduersus iniurias exurgit, quid apud nos incredibile videri potest, aut supra humanae naturae mensuram? Ille ait, iniurias esse tolerabiles sapienti, nos (scilicet Stoici) iniurias non esse. Haec ille: et ep. 29. egregie, vbi videtur dixisse: Epicurus qui peccare se nescit, corripit non vult, deprehendas te oportet, antequam emendes: et ep. 69. Apud Epicurum duo bona esse, corpus sine dolore, et animus sine turbatione; haec bona non crescunt, quia plena sunt. Quomodo enim crescit, quod plenum est? dolore caret corpus, quid ad hanc indolentiam accedere postest? animus constat sibi, et placidus est, quid ad hanc tranquillitatem accedere potest? et sequitur. Bonum absolutum humanae naturae est, corporis, et animi pace contentum esse. Et ibi multum de hoc.

Comment [c342]: Pg.359

11 Ex quibusdam ergo dictis ipsius Epicuri videtur loqui de voluptate, id est, de perfecta iucunditate, sicut tactum est supra a Policrato. Vnde Seneca ep. 2. Hodiernum, inquit, hoc est, quod apud Epicurum nactus sum, honesta, inquit, res est honesta paupertas. Illa vera non est paupertas, si laeta non est. Cui cum paupertate bene conuenit, diues est. Vnde non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est etc. Et hoc est bene dictum, et philosophice. Similiter in multis suis epistolis recitat bene huiusmodi dicta.

12 Ex aliis autem dictis Epicuri videtur loqui de voluptate carnali, ob quod sua opinio fuit reprobata a philosophis, sicut recitat Tull. lib. 3. de offic. in fine; vbi ait, quod Aristippus, et alii in voluptate bonum posuerunt, et Epicurus eiusdem auctor, adiutorque sententiae fuit; quam reprobat ibidem per hoc, quod virtutes politicae expugnant voluptates, temperantia est inimica voluptati, et sic de aliis, prout ibi prosequitur bene. Et de hoc Valer. lib. 4. c. 3. vbi ait, quod legatus quidam, profectus ad Pyrrhum, cum audisset quendam Atheniensem suadentem, ne quid aliud homines, quam causa voluptatis facere vellent, pro monstro vocem accepit. Et sequitur. Pyrrho, et Samnitibus istam sapientiam deprecatus est, licet Athenienses doctrina sua gloriantur; vir tamen prudens Fabricii detestationem, quam Epicuri maluit praecepta, quod euentus quoque indicauit; namque vrbs cum se voluptati plurimum tribuit, imperium maximum amisit. Haec ille. De hoc eodem ait Seneca lib. 4. de benef. c. 2. Nobis pugnandum est cum Epicuris, delicata; et vmbratica turba philosophantium in conuiuio suo; apud quos virtus voluptatis ministra est, illi paret, illi deseruit, illam supra se videt. Haec ille. Ex variis ergo dictis Seneca videtur sicut vnus concionator alia dicere philosophica, et in laudem virtutis; alia dicere quasi ex opinione vulgi, et in commendationem voluptatis, vt habitum est supra a Policrato. Et sic patet de illustribus philosophis, et de principalibus sectis illorum.

Comment [c343]: Pg.360

Comment [c344]: Pg.361

## SEPTIMA PARS.

### De artibus liberalibus.

#### CAP. I.

##### *De vtilitate artium liberalium.*

1 Et quia haec, quae dicta sunt, videntur conuenire morali philosophiae, ideo posset fortassis dici alias scientias ad rationalem, et naturalem philosophiam non esse necessarias, vel vtiles; sed praebulas ad philosophiam moralem, sicut prosequitur bene Seneca ep. 88. vbi loquitur de liberalibus studiis, inquirendo an faciant virum virtuosum? obiiciens, quod Grammaticus circa curam sermonis versatur, et si latius euagari vult, circa historias. Iam vt

Comment [c345]: Pg.362

longissime fines suos proferat, circa carmina: quid autem horum, inquit, ad virtutem viam sternit? quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem froenat? Et sic prosequitur de Geometria, Musica, et Astrologia: quid, ait, conferunt ad virtutem? Quare, inquit, ergo liberalibus studiis filios erudimus? et respondet, non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant. Quemadmodum prima illa, vt antiqui vocabant, litteratura, per quam litterarum elementa pueris traduntur, non docet liberales artes, sed mox percipiendis locum parat: Sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt. Vnde ibi ex Posidonio quatuor distinguit artium genera: sunt enim vulgares, et sordidae, quae artificum manu constant; sunt ludicrae, sunt pueriles, sunt liberales, vt dictum est supra: et ideo, inquit, vna est pars philosophiae naturalis, alia moralis, alia rationalis, vt ibi egregie prosequitur.

Comment [c346]: Pg.363

## CAP. II.

### *De coaptatione septem liberalium artium septem planetis.*

2 De philosophia vero rationali, et eius partibus Alexander Necham bene in libro suo de naturis rerum ait, quod sicut mundum illuminant septem planetae, sic omnium rerum scientiam iuuant septem artes. Nam Lunae, terris vicinae, comparatur Grammatica, primos vendicans limites. Soli, qui iuxta quosdam secundum tenet locum, comparatur Dialectica. Mercurio, qui dicebatur Deus eloquentiae, Rhetorica. Veneri, quae aspectu gratissima, comparatur Arithmetica, ob eius venustatem et subtilitatem in numeris proportionandis. Martem respicit Musica, non solum mundana, vel humana, sed et instrumentalis: quia Musicorum instrumentorum, sicut tubarum, et aliorum, et consimilium concentus incitat ad bellum. Ioui autem appropriatur Geometria: quia circa magnitudinem immobilem, et mensuras versatur. Saturno vero, qui est superior, appropriatur Astronomia, quae circa magnitudinem molem, et cursus astrorum versatur. Haec ille. Vt ergo praedictae planetae mundum illuminant, sic praedictae artes philosophiam.

Comment [c347]: Pg.364

## CAP. III.

### *Qualiter possit Grammatica ordinari ad virtutum operationes?*

3 His itaque artibus potest verus philosophus vti ad **morum** correptionem. Vnde ait idem. Quid prodest vitare vitia in vocibus, et incurrere in moribus, ordinate loqui, et inordinate viuere? Numquam Dialecti nomen meretur, qui falsa proponit, scilicet illa diligendo. Ille est ergo bonus Grammaticus specialiter et finaliter, qui gesta, quibus quasi loquitur, hominibus congrue proponit. Grammatica enim est scientia congrue loquendi, et cauendi incongruitatem in loquendo, prout ait Hug. Didascal. lib. 2. *Gramma* Graece, *littera* Latine interpretatur. Inde Grammatica est litteralis scientia, sumendo large *litteralis*, prout continet litteras, syllabas, et dictiones; sed non solum loquitur homo verbis vocalibus, sed etiam gestibus corporalibus, prout ait Aug. 8. confess. ante finem: Plus alloquebantur animum meum frons, oculi, color, modus vocis, quam verba, quae sonabant. Eccles. 19. *Amictus corporis, risus dentium, et ingressus hominis nuntiant de illo.* Illa ergo sunt quasi verba hominis. Vnde Gregor. 2. pastoral. c. 41. plus debet praedicator actibus, quam vocibus resonare. Ille ergo qui sensus suos, et actus, et gestus

Comment [c348]: Pg.365

Comment [c349]: Pg.366



componit, debita congruitate deuitando contrarium, bonus Grammaticus est, et alloquitur homines congruenter, absque vlla incongruitate. *Congruus* id enim est, quod *conueniens* ait Papias. Qui autem aliter facit, ad modum barbarismi, et aliarum figurarum loquitur, et vitia ostendit in gestibus suis. Frequenter autem multi plus timent facere barbarismum in sermone, quam vitii deordinationem in vitae qualitate, prout ait Aug. 1. confess. c. 18. loquens de hominibus peruersis; qui magis timent facere barbarismum sermonis, quam libidinis: et ibidem de se loquens ait, plus timebam facere barbarismum, quam non facientibus inuidere. Ideo dicebat Apostolus discipulis suis: *Christi epistola estis ministrata a nobis et scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui* 2. Cor. 3.

Comment [c350]: Pg.367

#### CAP. IV.

##### *Quomodo Logica possit ad easdem ordinari?*

4 Item ille est bonus Dialecticus, qui discernit verum a falso. Dialectica est scientia discernendi verum a falso, vt ait Hug. vbi supra l. 1. c. 12. Veritas est quadruplex, scilicet cogitationis, voluntatis, enunciationis, et actionis, vt ait Anselmus per totum opusculum de veritate. Qui ergo istas veritates discernit a contrariis falsitatibus, et adhaeret veritati, et repugnat falsitati, siue expugnat falsitatem tam in se, quam in aliis, bonus Dialecticus est, vnde Eccles. 37. *Ante omnia verbum verax praecedat te:* et de eo verificatur illud Malach. 2. *Lex veritatis fuit in ore eius, et didicit ab illo magistro, qui docet veritatem.* Qui vero veritatem vel falsitatem occultat hypocritali apparentia, sophista est; falsitas enim est, cum putatur esse, quod non est, ait Aug. 7. confess. cap. 15. et falsum est significatio rei non ita se habentis 1. de doctr. Christian. c. 7. Hypocrita est satanicus sophista, habens deficientiam, et ostentans apparentiam. Hypocrita enim est subtilis ingenii et duo intendit, scilicet occultare quod est, et ostentare quod non est, et ideo Deo odibilis, ait Gregor. Mor. 26. c. 1. et 28. et Eccles. 26. *qui sophisticè loquitur, odibilis est;* habet enim fallacias intra dictionem et extra; decipit enim tam in sermone, quam in re.

Comment [c351]: Pg.368

#### CAP. V.

##### *Qualiter Rhetorica possit sic adoptari?*

5 Cum rhetorica sit scientia apte dicendi de causa proposita ad persuasionem, vt ait *Alpharabius* supra citatus. Oratoris est loqui apte, distincte, ornate ait Tull. 1. de offic. c. 1. Ille bonus est Rhetor, qui virtuosis exemplis, et bonis operibus alloquitur homines, et eis persuadet de veritate credenda. Vnde et sancti dicuntur libri, prout ait Gregor. 24. mor. post princip. *via enim lectio est vita Sanctorum Apocal. 20. libri aperti sunt.* Vel bonus Rhetor, siue Orator est, qui in oratione alloquitur Deum efficaciter, et flectit ipsum Iudicem ad misericordiam. Vnde Ouid. 1. Arte Am. *Flectitur iratus voce rogante Deus.* Ideo propheta orans in primis ad modum oratoris aliquando captat beneuolentiam Iudicis, aliquando explicat nequitiam aduersantis, aliquando deficientiam sui ipsius implorantis, vt flectat Iudicem ad misericordiam, prout ait Hugo de studio orandi, in erudit. Theologicis ex Miscellan. 2. l. 3 tit. 27.

Comment [c352]: Pg.369

## CAP. VI.

Comment [c353]: Pg.370

### *De Geometria.*

6 Item cum Geometria sit disciplina mensurandi magnitudinem, et eius differentias, ille est bonus Geometer, qui nouit sui ipsius mensuras, et seipsum mensurare, prout ait Seneca ep. 88. Scis rotunda metiri etc. Et sequitur. Si artifex es, metire animum: dic quam magnus sit, dic quam pusillus sit. Scis quae recta sit linea, quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignores? Et ibi bene de hoc. Vnde et insipiens est, qui ignorat sui quantitatem, vt dicitur in prologo Almagesti. Ideo Apost. 2. Cor. 10. *ipsi in nobis nosmetipsos metientes*. Et Iob. 38. *Quis posuit mensuras eius, si nosti?* Vbi Gregor. mor. 28. c. 5. et 6. de hoc. Debet enim anima se mensurare, quam alta in Dei dilectione, quam feruida; quam lata in dilectione proximi beneuola; quam longa in coelestium appetitione deuota, quam profunda in humilitate perfecta Eph. 3. *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudo, et sublimitas, et profundum: Scire etiam supereminentem scientia charitatem Christi*. Mensura enim animae est secundum mensuram charitatis; quae enim magnam habet, magna est, quae paruam, parua, quae nullam, nihil est. 1. Cor. 20. *Si enim charitatem non habuero, nihil sum*. prout docet Bernar. super Cantic. ser. 27.

Comment [c354]: Pg.371

## CAP. VII.

### *De Astronomia.*

7 Astronomia vero est, quae disserit de lege astrorum: *nomos* enim lex est, et *logos* sermo, prout ait Hugo in Didascal. lib. 2. cap. 11. Vnde disserit de conuersione coeli, et regiones, circulos, ortus, et occasus syderum inuestigat, vt ait ibidem. Astrologia vero astra considerat secundum natiuitatis, et *mortis*, et quorumlibet aliorum euentuum obseruantiam, vt ait ibidem. Sed cum anima sancta sit coelum; et sol sit intellectus, vel iustitia; luna fides, et continentia; stellae virtutes, prout ait Bernardus super Cant. serm. 27. ille est bonus Astronomus, qui in consideratione praedictorum versatur. Vnde Aug. 4. de Trin. in princ. Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas sua, quam qui, ea non perspecta, vias syderum scrutatur, etiam cognosciturus eas, aut qui iam cognitas tenet etc. Et de hoc Seneca vbi supra. Venio, inquit, nunc ad illum, qui coelestium notitia gloriatur.

Comment [c355]: Pg.372

*Frigida Saturni, quo sese stella receperet,*

et infra. Quid prodest, scilicet equum regere, et cursum eius fraeno temperare, et affectibus effraenatissimis abstrahi? Quid prodest multos vincere luctatione, vel cursu, et ab iracundia vinci?

CAP. VIII.

Comment [c356]: Pg.373

*De Arithmetica.*

8 Item cum Arithmetica sit scientia de numeris, et eius differentiis, ille est bonus Arithmeticus, qui studet ad diuina talenta accepta multiplicanda, et ad lucra ex eis reportanda, et ad diuina beneficia consideranda, et debita obsequia reddenda; qui recogitat annorum suorum curricula in amaritudine animae suae Eccles. 43. *datum omne, et acceptum recogita, et describe.* Item qui pensat hostilia aduersariorum agmina, et sua modica merita ad obuiandum, et virium suarum infirmitatem Luc. 14. *Quis rex iturus committere bellum etc.* Sequitur. *Nonne prius sedens cogitat, si cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? etc.* hoc ergo numerare et pensare vtilius est, quam in numeris rerum exteriorum sciendis desudare.

CAP. IX.

Comment [c357]: Pg.374

*De Musica.*

9 Item cum Musica sit peritia modulationis in omni sono, cantuque consistens, prout ait Alpharabius vbi supra, ille est bonus Musicus coram Domino, qui in corde quo iubiliatis cantibus Deum laudat, prout ait Apostolus Eph. 5. *Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus etc.* et de hoc Seneca vbi supra. Ad Musicum, inquit, transeo. Doces me quomodo inter se acutae ac graues voces consonent. Et sequitur. Fac potius quomodo animus meus secum consonet, nec consilia mea discrepent.

CAP. X.

Comment [c358]: Pg.375

*Qualiter Philosophi ex scientiis speculatiuis eliciebant ea, quae conducebant ad morum ordinationem.*

10 His modis potest philosophus vti artibus praedictis morum correptionem. Vnde et modus sapientis est, ea, quae considerat in speculatiuis scientiis, ordinare ad aliquam vtilitatem, prout ait Seneca epist. 58. vbi loquitur de idaeis Platonis, et subiungit. Quid, inquit, subtilitas ista mihi proderit? et respondet. Hoc ego, mi Luccille, soleo facere, ex omni natione, etiamsi a philosophia longissime auersa est, eruere aliquid conor, et vtile aliquid efficere. Vnde et in hoc, quod posuit Plato idaeas, omnia ista, quae seruiunt sensibus, quae nos accendunt, et irritant, negat ille ex his esse, quae vere sint. Igitur imaginaria ista sunt, et ad **tempus** faciem aliquam ferunt, nihil horum stabile, nec solidum est, et nos tamen ea cupimus, tanquam aut semper futura, aut ea semper habituri. Contemnamus ergo omnia illa, miremur in sublimi volitantes rerum omnium formas, Deumque inter illas versantem etc. Quasi dicat, positio, et consideratio praedictarum idaeorum deberet nos inducere in considerationem aeternorum, et immutabilium appetitum perfectum, et praesentium mutabilium plenarium contemptum. Vnde et Aug. ep. 3. ait quod in duobus praeceptis. *Diliges Deum, et proximum* omnis ars continetur. Ibi enim philosophia, quia causae naturarum in Deo creatore sunt; hic Ethica quoniam vita bona et

Comment [c359]: Pg.376

honestam non aliunde formatur, quam cum, quae diligenda sunt, diliguntur; hic Logica, quoniam veritas et lumen animae rationalis non nisi Deus est. Omnes ergo artes, et speculativae, et aliae, ad aedificationem proximi et ad vitae ordinationem adaptari possunt. Vnde recitat Agell. l. 18. cap. 7. De quodam Domitio Grammatico, cum, me, inquit, praesente, a Fauorino philosopho quaereretur ab eo de proprietate huius dictionis *concio*; ille voce atque vultu atrocior ait: nulla prorsus spes est bonae salutis, cum vos quoque philosophorum illustrissimi nil aliud, quam verba, auctoritatesque verborum cordi habeatis. Ego enim Grammaticus vitae iam atque morum disciplinas quaero. Vos philosophi mera estis mortua glossaria. Atque vtinam omnes muti essemus, minus improbitas instrumenti haberet. Cumque, inquit Agellius, digressi fuisset, dixit Fauorinus: Non intempestive hunc hominem accessimus. Videtur mihi istam intemperiem non paruis, neque abiectis ingeniis accidere, et veritates plerumque fortiter dicere; sed respectum non habere, vel ipsum quale hoc existimatis, quod nunc de philosophis dixit, nonne et si Antisthenes, aut Diogenes dixisset, dignum memoria visum esset? Haec ille. Si ergo pagani philosophi suam philosophiam ordinaverunt ad morum correptionem, quibus poenis digni sunt philosophi Christiani, qui sacra abutuntur scriptura ad cupiditatem, vel ostentationem.

Comment [c360]: Pg.377

Comment [c361]: Pg.378

## OCTAVA PARS.

De Apologis, siue Poetis.

### CAP. I.

*De Apologis in communi.*

1 His habitis de sectis principalibus philosophorum, prosequendum breuiter de aliis: vt enim ait Tull. lib. 1. Tusc. quaest. hi, qui a Platone, et Socrate, et a tertia familia dissident, plebaei philosophi appellandi sunt. Vnde Aug. 14. de ciuit. c. 17. de quibusdam narrat, quod per opacas in die solitudines quidam nudi philosophantur, vnde *gymnasophistae* nominantur, adhibent tamen genitalibus tegmina, quibus per caetera membrorum caret: et quia multi modi fuerunt talium, potius abutentes philosophia dicti sunt, quam veram sectantes, vt dicetur infra, ideo de his supersedendum.

Comment [c362]: Pg.379

### CAP. II.

*De Virgilio, eiusque operibus.*

2 Et quia fuerunt nobiles, et illustres philosophi inter poetas, ideo de quibusdam horum, sicut de Virgilio, qui fuit Poetarum praeclarissimus, et optimus, teneris imbutus animis, prout ait Aug. 5. de ciu. c. 3. quae ille de eo refert, subscribentur, vt enim ait Papias citatus *Poeta* Graece, Latine dicitur *vates*, vnde et eorum scripta Vaticinia dicebantur, quia veluti interno quodam spiritu videbantur quasi futura prospicere, miraue quadam vesania moueri in scribendo. Virgilius nomen habuit a *virga*, eo quod mater eius somniauit se peperisse quamdam virgam, quae vsque ad coelum pertingeret, quod nihil aliud indicabat, nisi quod Virgilium pareret, qui

Comment [c363]: Pg.380

loquendo de altis coelum tangeret, prout ait Huguutio. Hic fuit philosophia naturali praeditus, et Nigromantia in multis vsus est. Vnde et mira narrat de eo Alexander Necham in lib. de naturis rerum, vbi ait, quod Neapolis, cum lethali peste sanguisucarum vexaretur, liberata est, proiecta per Virgilium sanguisuca aurea in profundum putei. Qua, euolutis multorum annorum curriculis, extracta a mundato puteo, repleuit infinitus earumdem exercitus ciuitatem, nec sedata est pestis, antequam sanguisuca aurea iterato in puteum mitteretur.

3 Ibidem narrat macellum Neapolitanum carnes illaesas a corruptione diu seruare non potuisse, sed incommoditatem superauit prudentia Virgilii recludentis carnem, nescio qua vi herbarum, conditam, quae quingentis annis elapsis recentissima, et optimi saporis suauitate commendabilis reperta est.

Comment [c364]: Pg.381

Ibidem narrat, quod dictus vates hortum suum aere immobili, vicem muri obtinente, muniuit, et ambiuit, et pontem aere construxit; cuius beneficio loca destinata pro arbitrio suae voluntatis adire consueuit.

Ibidem recitat, quod nobile palatium Romae construxit, in quo cuiuslibet regionis imago lignea campanam manu tenebat. Quoties vero aliqua regio maiestati Romani imperii insidias moliri ausa est, incontinenti proditricis regionis iconia campanam pulsabat, et miles aeneus equo insidens aeno in summitate fastigii dicti palatii, hastam vibrans, in illam se partem vertebat, quae regionem illam respiciebat, et Romana iuuentus expedita, missa a Senatoribus praeparabat se in hostes Imperii, vt non solum praeparatas fraudes declinaret, sed in auctores temeritatis animaduerneret. Quaesitus autem dictus vates, quamdiu esset a Diis conseruandum illud nobile palatium, respondisse consueuit: stabit vsque dum virgo pariet. Haec audientes, et applaudentes dicebant: Igitur in aeternum stabit. In natiuitate vero Saluatoris fertur, dicta domus incluta subitam fecisse ruinam. Haec ille. Hoc idem narrat Huguutio, superaddens, quod illud palatium dicebatur colosseum, et quod in medio erat imago Romanae prouinciae, tenens pomum aureum in manu sua, quasi domina et regina omnium: et erant haec ita disposita arte Nigromantica, vti idem enarrat.

Comment [c365]: Pg.382

5 Quam subtilis vero fuit ille in cognoscendis naturis rerum, patet in libris suis, in quibus describit res propriissime, sicut equos, et apes, et magnorum consilia, prout recitat Seneca de ipso ep. 97. qualiter scilicet describit equos, et hoc in figura virorum fortium.

Comment [c366]: Pg.383

*Noc validos horret strepitus, illi ardua ceruix.  
Argutumque caput, breuis aluus, obesaque terga,  
Luxuriatque thoris animosum pectus anhelu.*

Frequentes autem sunt huiusmodi comparationes apud Virgilium, et dum hic equum describit, virum fortem representat. Et ex hoc notandum, quod describendo res saepe loquebatur figuraliter. Qualiter autem describit apes nobiliter, patet 1. lib. Aeneid. vbi ait.

*Qualis apes aestate noua per florea rura.  
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos.  
Educunt foetus, aut cum liquentia mella.  
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas.*

Comment [c367]: Pg.384

Quas descriptiones recitat Seneca epist. 84. dicens, quod apes debemus imitari, quae vagantur, et flores ad mel faciendum carpunt idoneos etc. Et sic de multis aliis rebus, quas describit in operibus suis. Haec autem fuerunt principaliter tria, scilicet liber Aeneidos, in quo vitam

militarem, et liber Bucolicorum, in quo vitam pastorem, et liber Georgicorum, in quo describit vitam communem et laboriosam, vnde hoc ei positum Epitaphium.

*Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc.  
Parthenope; cecini pascua, rura, duces.  
At ne musa carens vitiis Aeneidos esset,  
Invidia celeri fata tulere nequam.*

6 Itaque moriens orauit suos amicissimos, vt Aeneidam, quam non elimauerat, abolerent, et corrigi facerent, vt dictum est supra. Et de isto Polycrat. lib. 4. c. 8. Fertur interrogasse Marcellum, an auem vellet instrui in capturam auium, an muscam formari in exterminationem muscarum. Quam quaestionem cum retulisset ad Augustum, eius consilio praelegit, vt fieret musca, quae Neapoli muscas abigeret, et a peste insanabili liberaret. Opus quidem impletum est. Vnde liquet priuatae voluptati cuiusuis praefendam esse communem vtilitatem. Haec ille.

Comment [c368]: Pg.385

### CAP. III.

#### *De arte Poetica, et Poetis in generali.*

7 De arte vero Poetica communiter ait Tull. lib. 1. Tusc. in prologo, quod prius fuit apud Graecos, deinde apud Latinos, et quo minoris honoris erat poetis, eo minora studia fuerant, imo vt ait Agell. lib. 12. c. 9. Non est honor poeticae artis, et ideo numeratur inter scenicas meretriculas, quae assistebant lectulo infirmi apud Boetium 1. de consolat. c. 1. vt ait expositor ibi, et propter hoc vt ait Tull. 2. Tusc. c. 11. recte a Platone educuntur Poetae ex ea ciuitate, quam finxit ille, cum mores optimos, et felicem statum reipublicae exquireret; quia cum accedunt poetae, neruos omnis virtutis elidunt, ait ibidem. Idem recitat Aug. 2. de ciuit. c. 14. et lib. 8. c. 13. Et de hoc idem Aug. 1. Confess. vbi loquitur de verbis poetarum: Didici, inquit, in eis multa verba vtilia. Et sequitur. Legi Iouem tonantem, adulterantem; fingebat hoc Homerus humana ad Deos: transferebat, Deum autem malle ad nos transferret. Non accuso verba, quasi vasa electa et pretiosa, sed vinum erroris, quod in eis propinabatur ab ebriis doctoribus, et vt biberemus, caedebamur, nec appellare ad aliquem iudicem sobrium licebat. Haec ille; et ideo verba quorundam prohibita legi, ait Isid. lib. 3. de Summo bono c. 14.

Comment [c369]: Pg.386

Comment [c370]: Pg.387

### CAP. IV.

#### *De quibusdam famosis Poetis, eorumque epigrammatis.*

3 De quibusdam autem poetis famosis agit. Agell. lib. 1. c. 24. vbi recitat ista epitaphia.

Epigramma Naeuii Poetae.

*Immortales mortales si foret fas flere,  
Flerent diuae Camoenae Naeuium poetam,*

*Itaque postquam est Orchio traditus thesauro,  
Obliti sunt Romae lingua loqui Latina.*

Epigramma Plauti poetae.

*Postquam est morte captus Plautus,  
Comoedia luget, scena est deserta,  
Deinde risus, ludus, iocusque; et numeri,  
Innumeri, simul omnes collachrymarunt.*

Epigramma Pacuuii.

Comment [R371]: Page 388

*Adolescens, tametsi properas, hoc te saxum rogat.  
Vt se aspicias, deinde quod scriptum est, legas:  
Hic sunt poeta Pacuuii Marci sita  
Ossa: hoc volebam, nescius ne esses: uale.*

Haec tria epigrammata ipsimet sibi fecerunt. Primum plenum superbia. Secundum plenum pudore. Tertium moderatione.

Poetarum autem tria dixit esse genera Papias; quidam enim Satyri dicti sunt, eo quod pleniori facundia, siue a saturitate et copia scripserunt: Alii Comici, qui ioculatores extiterunt, vt Terentius; Alii Mimi, qui et Satyrici, a quibus vitia carpuntur, vt Persius, Iuuenalis, et Horatius; qui frequenter pungunt, eo quod vitia denudant, ait idem Papias. Variis ero modis dicebantur Poetae antiquitus.

CAP. V.

Comment [c372]: Pg.389

*De inuentoribus Apologorum ad expressionem veritatis, et de Aesopo.*

9 Fuerunt autem et alii, qui ad maiorem expressionem veritatis apologias finxerunt, siue composuerunt, qualis fuit Aesopus, de quo Agell. lib. 2. c. 29. ait, quod Aesopus ex Phrygia ille fabulator, non immerito sapiens aestimatus est. Cumque vtilia monita sua erant, non seuerè, neque imperiose praecepit, et censuit, vt philosophis mos erat; sed festiuos, et delectabiles apologos commentus, res salubriter, atque prospicienter animaduersas in mentes, animasque hominum, cum audiendi quadam illecebra, indidit. Et exemplificat de aue Cassita, quae nidificat in segetibus, quae cum essent maturae, et paterfamilias quaereret auxilium ab alienis, vt meteret segetes, rediens auicula ad pullos dixit, quod non oportuit eos adhuc timere, ex quo paterfamilias quaereret auxilium ab alienis. Sed quando paterfamilias dixit suis, quod irent ad metendum, rediens dixit pullis, quod oporteret eos fugere, nidumque alio transtulit. Aesopus autem hac fabula indicare voluit, parum expectandum de amicorum, et propinquorum adiutorio, in eisdem leuem inutilemque reponi fiduciam. Et ex hoc dicunt philosophi, vt bonis, quae sunt in nobis, innitatur; alia autem omnia, quae extra nos, extraque animum nostrum sunt, neque pro nostris, neque pro nobis ducamus, neque in eis confidamus. De multis autem fabulis talibus patet in libello, quem praedictus Aesopus composuit.

Comment [c373]: Pg.390



*Qualiter tales Apologi dici, atque narrari possint absque mendacio.*

10 An possint tales fabulae absque mendacio induci, et proponi ad expressionem veritatis, inquit, et inuestigat Aug. eleganter, et diligenter in libro contra Mendacium, circa medium: vbi ait, quod apud auctores saecularium litterarum, vt apud Horatium, mus loquitur muri, mustela vulpeculae, vt per narrationem fictam ad id, quod agitur, verax significatio referatur. Vnde et Aesopiales fabulas, ad eum finem relatas, nullus tam ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia. Sed et in sacris libris, vt Iudic. 9. ligna sibi regem fecerunt, et loquuntur ad eum, et ad iudicem, quod totum fingitur, vt ad rem, quae intenditur, ficta narratione, sed veraci significatione, veniatur. Haec Augustinus, et ibi multum de hoc. Absque mendacio ergo possunt proponi fabulae, et induci modo praedicto.

Comment [c375]: Pg.392

11 Et de his fabulis bene Isidor. lib. 1. Ethim. ante finem, vbi ait: fabulas poetae a fando nominauerunt, quia non sunt res factae, sed tantum loquendo fictae; quae ideo inductae sunt, vt fictorum, mutorumque animalium inter se colloquentium imago quaedam hominum nosceretur, et eas poetae quadam delectandi causa finxerunt, quasdam ad naturas rerum explicandas, nonnullas vero ad mores hominum exprimendos interpretati sunt, vt ibi exemplificat. Et de his eisdem Macrobius lib. 1. in somn. Scipionis post principium; vbi distinguit dicens, quod sunt aliquae fabulae voluptatis, aliae adhortationis gratia confictae. Primas eliminat e suo sacrario sapientia; in aliis argumentum ex ficto loquitur, et per mendacia relationis ordo contextitur, vt sunt Aesopi fabulae elegantia fictionis illustres. Et ibi bene de hoc. Et idem dicitur in libro de ortu scientiarum, talesque fabulas introduxerunt sancti in libris suis, sicut Ambros. lib. 3. de offic. c. 5. recitat fabulam de Gyge illo, qui inuenit anulum aureum in equo aeneo sub terra, quem cum haberet in manu a nullo poterat videri; quam etiam recitat Tull. 3. de offic. cap. 9. Vnde Ambrosius ibi ait, quod licet fabula vim veritatis non habeat, hanc tamen rationem habet, vt iuxta eam possit veritas manifestari. Et de hac fabula dictum est in Communi loquio. Idem Ambros. lib. 6. in Lucae caput 9. commentario suo interserit aliam fabulam. Ferunt, inquit, Gentilium fabulae, fuisse regem quemdam, qui quidquid tangebatur, aurum fiebat, sed et etiam ipsa conuiuia feralia. Nam et ipsa mantilia digitis apprehensa rigeant, et cibus in ore crepitabat, ferens non alimenta, sed vulnera: et in gutture potus haerebat, nec penetrare facilis, nec redire, digna beneficia votis, digna tanta munera precatore, digna liberalitas conferente. Talia sunt idolorum beneficia, vt cum videantur prodesse, plus noceant. At vero Christi munera parua videntur, et maxima sunt. Haec Ambrosius.

Comment [c376]: Pg.393

12 Similiter Augustinus introcit quandam fabulam lib. 2. Sermonum, serm. 27. Referunt, inquit, litterae saeculares, quendam fuisse, qui quotiens virium suarum amicam et nutricem terram impulsu aduersarii contigisset, de solo surgens magis in aduersarium praeualeret, et sic occasus prostrati occasio fiebat triumphus. Dabat infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Cui haec conueniunt nisi Christo? qui ad hoc cecidit, vt gloriosior resurgeret. Similiter Hieronymus epistola 109. introducit fabulam Aesopinam de cane tenente os in ore, et vidente maiorem umbram ossis in fonte, os verum dimisit propter illam.

Comment [c377]: Pg.394

13 Eleganter equidem et proprie Horatius introducit tales fabulas in epistolis suis, vt facile videre est in prima.

Comment [c378]: Pg.395

*Quod si me populus Romanus forte roget cur  
Non vt porticibus, sic iudiciis fruar iisdem,*

*Nec sequar, aut fugiam, quae diligit ipse vel odit?  
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni  
Respondit, referam, quia me vestigia terrent  
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.  
Bellua multorum es capitum etc.*

Quod potest adaptari diabolo vel mundo, qui deuorat amatores suos.

14 Similiter philosophi introduxerunt saepe tales fabulas, sicut Apuleius lib. de Deo Socratis, introduxit fabulam Aesopinam de coruo tenente caseum in ore; cui cum dixisset vulpecula, quod melius illo cantabat cygnus, volens coruus probare contrarium, aperuit os, et sic caseum amisit, volensque **cantare**, potius crocitauit, suumque defectum publicauit. Quod accidit multis, qui volunt se magnificare et ostentare vltra mensuram virium suarum.

Comment [c379]: Pg.396

15 Vnde et Titus Liuius lib. 2. introducit illam fabulam Aesopide conspiratione membrorum contra stomachum, ex hoc quod omnia consumebat, in quibus omnia membra laborabant: et cum adiudicatum esset a ratione, quod nihil daretur stomacho, omnia membra languerunt, propter quod oportuit iterato necessaria subministrare stomacho, vt ipse distribueret conuenienter membris virtualiter. Quae adaptat bene contra illos, qui faciunt conspirationes contra principes, vel praelatos: quia quae boni principes accipiunt a subditis, ad eorum vtilitatem iterato subministrant, de qua re docte disserit Saresbiriensis in Policrato lib. 6. c. 20.

16 Qualiter autem tales fabulas ad maiorem expressionem **veritatis**, et eorum, de quibus tractabant, collegerunt, et introduxerunt, Aesopus, Ouidius, et Horatius, et alii patet in libris eorum, quibus vti possunt sapientes ad vtilitatem audientium, vt docet Aug. supra, et Policrat. lib. 7. c. 10. Sicut enim omnia animantia fuerunt concessa ad vsum homini, siue in cibum, *excepto quod non debuit comedere carnem cum sanguine* Genes. 9. Sic omnes scripturae, nisi sint reprobatae, legi possunt a sapiente ad vtilitatem. Vix enim inuenietur scriptum, in quo vel in verbis, vel in sensu prudens lector non possit proficere. Et sicut homini concessa sunt animalia ad vsum, excepto quod non debuit comedere carnem cum sanguine, sic possunt legi etiam scripta Gentilium (exclusis erroribus, vitiisque declinatis) ad vtilitatem legentium, et audientium, et ad morum correptionem, ponitque ibi hoc exemplum. Dum innocentiam, frugalitatem, mundi contemptum docent Pythagorici, audiantur: **dum** vero animas, quas in coelum euexerunt, retrudunt in corpora bestiarum, reprobentur, et iuguletur vel ipse Plato. Ideo dictum est pastori Ecclesiae de reptilibus immundis, *macta, et manduca*, Actor. 10. Errores enim sunt excludendi, et exterminandi a dictis, et scriptis Gentilium, et veritates in eis contentae honesto vsui reponendae, et ex eis animae rationales cibandae. Praedictae ergo fabulae, sicut alia scripta Gentilium, sunt legendae ad vtilitatem, errores tamen praecauendo. Vnde et apes debemus imitari in colligendo flores, vt supra dictum est in principio: illae enim seligunt, et carpunt vtilis, noxiosque dimittunt.

Comment [c380]: Pg.397

Comment [c381]: Pg.398

De abutentibus philosophia.

CAP. I.

*De errore opinionum.*

1 Enarratis praedictis de recte philosophantibus, consequenter videndum est de illis, qui abutuntur philosophia, et a veris philosophis reprehenduntur.

Contingit autem abuti philosophia multis modis, vel propter errores, vel propter opinionum falsitates, errando etiam in ipsa philosophia, et in eis quae sunt philosophiae. Quales fuerunt illi, quorum opiniones reprobatur Philosophus 1. de Anima, et in aliis libris suis.

CAP. II.

*De fallaci seductione hominum.*

2 Item contingit abuti philosophia, vertendo ipsam ad seductionem, et fallaciam in credendis; et agendis, quod prohibet Apost. Coloss. 2. *Videte ne quis vos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam.* Super quod Aug. confess. 3. c. 4 sunt qui seducant per philosophiam, magno, et blando, et honesto nomine colorantes et fucantes errores suos.

CAP. III.

*De arrogantia, et tumore philosophantium.*

3 Item contingit abuti philosophia arrogantia et tumore superbiae, *scientia enim inflat* ait Apost. 1. Cor. 8. ad quae verba Gregor. Mor. 23. c. 10. Ipsa elatio scientiae deiicit, dum extollit; obstaculum enim veritatis est tumor mentis, et dum *inflat*, obnubilat. Quidam micantibus ingeniis, saepe exteriora tantum attingunt, sed interni saporis gustum ignorant, videlicet foris acuti, sed intus coeci sunt. Haec ille. Et sic loquitur Apostolus Rom. 1. de philosophis, vbi ait. *Deus illis manifestavit, et tamen euanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt etc.* Vt enim dicitur in Policrato lib. 7. cap. 1. Mundum dimensi sunt, nec veras scrutati sunt causas. Sequitur. Quasi a gygantea mole subuecti, intumuerunt, indixeruntque bellum gratiae Dei: de vigore rationis, et libero arbitrio confisi sunt, sed deiecti sunt, dum alleuarentur, et stulti facti sunt, et eo miseriores effecti sunt, quo defectum suum minime cognouerunt.

## CAP. IV.

### *De turpitudine vitae, et operum.*

4 Item contingit abuti philosophia ob vitae prauitatem, et **difformitatem** a vera philosophia, scilicet quando quis praetendit se esse philosophum in exteriori ostensione; et tamen turpiter et enormiter uiuit interius, vt habitum est supra secundum Agellium de illo, qui gerebat indumentum philosophicum, et tamen turpiter uiuebat. Vnde et idem lib. 7. c. 19. ait, quod Epictetus philosophus despiciebat illos, qui videbantur solo sermone philosophari, quos ille dicebat philosophos factis procul, verbis tenus. Hic vero cum animaduerneret, hominem pudore amisso, importuna industria, corruptis moribus audacem, confidentem lingua, caeteraque omnia praeter animum procurantem, istiusmodi hominem vituperabat, et grauissimis declarabat verbis, litteras, atque doctrinas philosophiae, cum in hominem falsum, atque degenerem tamquam in vas spurcum, atque pollutum influxissent, verti, mutari, corrumpi, et vrinam fieri, aut si quid vis vrina spurcius. Haec ille. De talibus **philosophis** diffuse loquitur Tull. 2. Tusc. c. 4. vbi ait. Quos enim quisque philosophorum nuenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus vt ratio postulat? qui disciplinam suam, non ostentationem scientiae, sed legeri vitae putet. Et sequitur. Est videre alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum seruos, vt cum eorum vita pugnet oratio, quod quidem mihi videtur esse turpissimum. Et ponit huiusmodi exempla. Vt enim si Grammaticum se professus quispiam, loquatur barbare: aut si qui velit se haberi musicum, absurde canat, sic turpior fit, quod in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam: sic Philosophus in ratione vitae peccans, hoc turpior est, quod in officio, cuius vult esse magister, vitio labitur, artemque vitae professus, delinquit invita. Haec ille. Reprehensibile ergo fuit apud philosophos profiteri vitam philosophicam, et tamen non viuere philosophum.

Comment [c385]: Pg.402

Comment [c386]: Pg.403

## CAP. V.

### *De deordinatione virtutum philosophiam concomitantium.*

5 Item contingit abuti philosophia, ob abusiosam virtutum concomitantium philosophiam: quia philosophia est studium virtutis, vt habitum est supra. Quando ergo non ordinatur ad debitum finem, qui est finis boni, magis est abusus; vt si quis seruit voluptati, aut humanae gloriae, vel laudi, aut propriae complacentiae, siue praesumptuosae de se ipso aestimationi. Sicut nobiles philosophi ad confusionem, et reprehensionem talium depinxerunt tabulam, in qua virtutes deseruiebant voluptati, aut vanae gloriae, vt habitum est supra.

Comment [c387]: Pg.404

## CAP. VI.

### *De vanitate curiositatum.*

6 Item contingit abuti philosophia curiositate inuestigandi, et **inquirendi inutilia**: qua vt ait Augustinus de vtilitate credendi cap. 9. studiosus, et curiosus vterque agit magna cupiditate noscendi. Curiosus scilicet requirit ea, quae nihil ad se pertinent, id est, ad suam vtilitatem. Vnde curiositas est studium perscrutandi ea, quae scire vlla est vtilitas, vt ait Ansel. de similitud. post

Comment [c388]: Pg.405

princ. Ideo ait Apost. 1. Timot. 2. *Stultas et sine disciplina questiones deuita*. Nobiles autem philosophi philosophiam direxerunt ad morum correptionem, vt habitum est supra.

## CAP. VII.

### *De cumulatione librorum.*

7 Item contingit abuti philosophia, minus eam cordi imprimendo, nec eam, vel eius praecepta memoriter retinendo, sed libros cumulando, et in libris confidendo, aliorumque dicta, recitando, prout ait Seneca epist. 34. Turpe est seni, aut proficienti senectutem, ex commentari sapere. Hoc Zenon dixit, tu quid hoc Cleantes, tu quid? Et sequitur. De tuo profer. Omnes itaque istos, numquam auctores, semper interpretes, sub aliena vmbra latentes, nihil puto habere generosi, numquam aliquando ausos facere, quod diu didicerunt. Sequitur. Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum enim ex illis, futuris relictum est. Quasi dicat; non debet philosophus tantum esse contentus dictis aliorum, nec in libris confidere, quam laboret ad ampliora inueni omnia. Namque, vt ait Boetius de disciplina Scholarium circa medium, miserimi est ingenii semper inuentis vti, et numquam inueniendis. Et prout exemplum de illo, qui omne verbum magistri sui quaternis exarabat, et sic proferebat. Nec tamen hi authores intelligunt vere, quod sit vituperabile inniti dictis sapientum; sed volunt, quod homo non confidat tantum in talibus, nec in scriptis, quin sciat aliqua proferre sine eis. Quia, vt ait Seneca 7. de benefic. cap. 1. solet plus prodesse, si pauca praecepta teneas, sed illa in promptu tibi, et in vsu sint, quam si multa didiceris, sed illa non habeas ad manum. Et ponit exemplum de luctatore, de quo non refert, quam multa sciat, sed quantum victoriae satis est.

Comment [c389]: Pg.406

Comment [c390]: Pg.407

## CAP. VIII.

### *De pompositate verborum absque operibus.*

8 Item contingit abusi philosophia, sectando verba absque correctione vitae, et morum, et operum. Et de hoc Seneca ep. 110. Bene nouimus, inquit, quosdam, qui multis apud philosophum persederunt annis, sed nec colorem quidem duxerunt. Sequitur. Quidam veniunt, vt audiant, non vt discant, sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis. Et post. Sic ista discamus, vt quae fuerunt verba, sint opera: nullos omnino peius mereri aestimo de omnibus, quam qui philosophiam velut aliquod artificium, vt venale didicerunt, qui aliter viuunt, quam viuendum esse praecipunt. Talis praeceptor non plus prodesse potest, quam gubernator in tempestate naufragabundus. Et ep. 108. Quemadmodum omnium rerum, sic litterarum intemperantia laboramus, non vitae, sed scholae discimus. Et ep. 25. An vere audieris, an vere dixeris, effectum proba; hoc enim turpissimum est, quod nobis solet obiici, verba nos philosophiae, non opera tractare. Et hoc Arist. inquit Ethic. x. Verum in orationibus ex operibus iudicatur, et sermones consonantes operibus acceptandi sunt. Vbi Commentator: quod res faciunt dicentes credibiles, sermones non. Et ibidem ait, quod actiones sunt credibiliores sermonibus in actionibus, et passionibus, et cum discrepant sermones, et actiones, interimunt verum, cum vero consonant, prouocant audientes. Si ergo praedictis modis contingit abuti

Comment [c391]: Pg.408

Comment [c392]: Pg.409

philosophia humana, caeant professores philosophiae diuinae, ne ipsa modis consimilibus abutantur.

## DECIMA PARS.

De locis, in quibus floruerunt studia Philosophorum.

### CAP. I.

*De foelicitate illorum temporum.*

1 Ultimo videndum est de locis, in quibus floruerunt studia philosophorum. Et de hoc Alexander Necham lib. 2. de naturis rerum, vbi ait. O foelicia antiquorum tempora, in quibus ipsi Imperatores, mundum subhastantes, se ipsos philosophiae dederunt, vt dictum est alias de Alexandro, de Iulio **Caesare**, de Ptolomaeo rege Aegypti, qui fuerunt studiosi sapientiae. Ibidem. Cuiuslibet regni gloria creuit in immensum, quamdiu artium ingenuarum in ipso floruerunt studia, vt patuit de Graecia, quando Athenis studia floruerunt, de Roma, de regno Francorum, ex quo floruerunt in illo studia. Victoriae, militiae, et studia philosophiae quasi simul concurrerunt, et hoc merito, quia philosophia vias docet recte et iuste regnandi: *Per me, enim reges regnant* ait Sapientia Prouerb. 8. et de hoc supra par. 1. Deinde prosequitur ibidem. Abraham in Aegypto docuit quadriuium, et sub tanto doctore multi inuigilantes Mathematicis disciplinis in nobiles euaserunt philosophos. Deinde descenderunt in Aegyptum Plato, Pythagoras et alii philosophi, vt dictum est supra.

Comment [c393]: Pg.410

### CAP. II.

*De Athenis, deque vrbis nomine, et nobilitate.*

2 Demum coepit Graecia nobilitati philosophorum frequentia, et consecratae sunt Athenae Deae Sapientiae, et de hoc Aug. 18. de ciuit. c. 8. ait, quod Minerua tanquam Dea colebatur, regnante Athenis Cycrope, sub quo ipsam vel instauratam ferunt, vel conditam ciuitatem. Nam vt vocarentur Athenae (quod certe nomen a Minerua est) hanc causam Varro indicat, vt ibi ait Aug. c. 9. recitans fabulosam historiam, quod cum repente illic apparuisset oliuae arbor, et alio loco aqua erupisset, misit rex ad Apollonem Delphicum ad sciscitandum, quid esset faciendum? Ille respondit, quod olea Mineruam, aqua Neptunum significaret, et quod esset in ciuium potestate, ex cuius nomine duorum illorum ciuitas vocaretur. **Et conuocata** multitudine vtriusque sexus (mos enim fuit, quod foeminae vocarentur ad ferendum suffragium) mares pro Neptuno, foeminae pro Minerua tulere sententias: et quia vna plus inuenta est numero foemina, Minerua vicit. Tunc Neptunus iratus marinis fluctibus aestuantes terras Atheniensium populatus est; spargere enim aquas latius Daemonibus non est difficile. Cuius vt ira placaretur, triplici supplicio affectae sunt mulieres, scilicet, vt nulla vltius ferret suffragium, vt nullus nascentium nomen maternum acciperet; et ne quis eas Athenaeas vocaret. Ita illa ciuitas mater, aut nutrix liberalium litterarum, et tot tantorumque philosophorum, qua nihil habuit Graecia clarius atque nobilium, nomen accepit, prout ait ille auctor. Haec Augustinus.

Comment [c394]: Pg.411

Comment [c395]: Pg.412

3 De nobilitate autem huius ciuitatis, et dispositione Ethicus philosophus, cuius librum transtulit Hieronymus, circa medium, aut, se **disputasse** quinque annis cum philosophis Athenis, et ibidem eas paterna viscera, et materna vbera nuncupauit, moenia habentes munita, mare floridum, cuncta mellis flumina, riuiolos seminibus consitos, stipiti haerentia poma, arbusta, et nemora vineata, ornata malo punico, colles eminentes, et sic de aliis quae ibi enarrat. Et huic consonat quod dicitur in vita S. Dionysii, vbi loquitur de situ Athenarum, easque ait appellatas paterna viscera, materna vbera, vrbem inclutam, Mineruae consecratam, et ipsius Deae nomen assecutam. Haec ciuitas prima cunctarum vrbium leges condidit, et aliis iura vel tradidit, vel mutuauit. Solon enim dedit iura Atheniensibus, vt habitum est supra part. 3.

Comment [c396]: Pg.413

4 De hac eadem, et eius situ agunt Solinus in princ. lib. 3. et Papias similiter, et Magister in historia super Act. Apostolorum c. 91. vbi loquitur de aduentu Pauli Athenas, et disputatione habita cum **philosophis**. In illa fuit Dionysius infulatus toga philosophica, vt dicitur in vita ipsius, et conuersus a Paulo. De multitudine vero liberalium artium, quae ibi docebantur, recitat Boetius de disciplina Scholar. post medium, vbi loquitur de eo, qui dedit ei loca studiorum: hic, inquit, vigent Chaldaeorum praesagia, id est, diuinationes: hic Ptolomaei, scilicet Astronomi, non latens gloria: hic Aristotelis sincera veritas, hic Platonis probata diuinitas, hic Zenonis concretio, hic Pythagorae promissio: et sic de multis aliis, quos ibi enumerat.

Comment [c397]: Pg.414

5 In his Athenis erat Areopagus, id est pagus Martis, ex quo loco Areopagitae appellati sunt curiales eiusdem vrbis: et de origine huius nominis agit Augustinus de ciuit. vbi sup. c. 10. vt dictum est in alio tractatu, scilicet Communiloquio. Vel dicebatur vicus Martis, in quo erat templum Martis: quia illi vicos nominabant a Diis, quos **colebant**, vt dicitur in historia super Actus Apostolor. vbi supra.

Comment [c398]: Pg.415

### CAP. III.

#### *De consuetudine ciuitatis in repellendo impatientes, et pigros ad vrbis studio.*

6 Ad portam huius ciuitatis sedebat senex ad obiurgandos volentes intrare, vt ibi philosopharentur, et si non videret in eis signum patientiae, illos repelleret; si videret, admitteret. Et de hoc narratur in vitis Patrum lib. 6. ante finem, vbi dicitur, quod quidam philosophus moriens filium suum alteri commendauit, qui in aetate iuuenili prouectus, adulterauit vxorem sui nitritoris. Quo scelere cognito, abiectus est. Deinde plurimum poenitenti et redeunti dedit offensus primo in poenitentiam, vt esset tribus annis cum illis damnatis, qui deponebant metalla in flumina. Iterum redeunti post tres annos dixit secundo, vade **per** tres alios, et da mercedes, vt iniurias patiaris; quod et ille fecit per alios tres annos. Demum missus est Athenas, vt philosophiam disceret. Erat autem ante portam ciuitatis senex philosophus sedens, atque intrantes contumeliis afficiebat, iniuriauitque illum iuuenem. At ille iniuriatus risit: Cui senior ait. Quid est hoc? ego iniurias tibi facio, et tu rides? Dicit ei iuuenis, non vis vt rideam, qui tribus annis dedi mercedes, vt iniurias pateret, et hodie eas gratis patior, prorsus ob hoc ego rideo. Cui tunc dixit senex, ascende, et ingredere ciuitatem. Haec ibi. Nobilis ergo ciuitas fuit illa, et illustres philosophi in ea, et varia studia, et ordinatus modus studendi, ac pacificus, ex quo non admittebantur ad vacandum philosophiae, nisi patienter sustinentes iniurias, et haec merito, quia vt ait Aug. in tractatu de patientia cap. 5. Patientia est comes sapientiae, non famula **concupiscentiae**; amica bonae conscientiae, non inimica innocentiae.

Comment [c399]: Pg.416

Comment [c400]: Pg.417



#### CAP. IV.

##### *De arrogantia philosophorum illius ciuitatis et de conditione legum.*

7 Et licet esset tam praeclara ciuitas, et tam nobilia studia, quia tamen non fuerunt illuminati lumine fidei, euanuerunt multi in cogitationibus suis, sicut et alii philosophi inflati scientia humana, et curiosi ad audienda vana. Athenienses ad nihil aliud vacabant nisi *aut dicere aut audire aliquid noui* Actor. 18. Et de hac ciuitate Trogius Pompeius lib. 2. longe a principio, vbi diffusius de illa disserit, ait, quod urbem Mineruae consecrauit Amphionides, et nomen Athenas dedit. Et sequitur. Administratio Reipublicae annuis magistratibus permessa est: ciuitati nullae leges erant, quia libido Regum pro legibus erat. Eligitur itaque Solon vir iustitia insignis, qui velut ciuitatem nouam legibus conderet, vt dictum est supra. De his enim ait Valer. lib. 5. c. 3. Cum aequissima iura, et iniquissima ingenia haberent, moribus suis, quam legibus vti maluerunt. Et c. 4. fuit dictum de eis: Athenienses quid sit rectum sciunt, sed facere negligunt.

Comment [c401]: Pg.418

#### CAP. V.

##### *Qualiter floruerunt studia Romae.*

8 Deinde Romanis mundum subhastantibus floruerunt studia Romae, et in aliis locis Italiae. Vnde et Italicum genus philosophorum auctorem habuit Pythagoram, vt dictum est supra, et philosophiae vacabant etiam Imperatores. Iulius enim Caesar polluit magna sapientia, sicut dicitur in libro de vitis Caesarum. Et Cato Vticen. optimus erat Orator, et optimus Imperator, ait Solinus lib. 1. Vnde et Romae Senatores multi fuerunt magni philosophi, et ibi floruerunt Latini philosophi sicut Tullius, Virgilius, et sic de aliis. Ibi etiam docuit Augustinus Rhetoricam, sicut ait de se lib. 5. confess. c. 12. sedulo ergo agere coeperam, propter quod veneram, vt docerem Romae artem Rhetoricam etc.

Comment [c402]: Pg.419

#### CAP. VI.

##### *De translatione studii ad urbem Parisiensem.*

9 Deinde, regnante Carolo magno, coepit florere studium Parisiis, vt enim dicitur in libro, qui vocatur Speculum. Alcuinus e Roma studium Parisios transtulit, quod fuit e Graecia Romam translatum a Romanis. Fuerunt autem quatuor fundatores studii Parisiensis, scilicet Rabbanus, Alcuinus, Claudius, et Ioannes Scotus. Et vt ibi citatur ex Chronicis Metropolis Arelatensis, dicitur, quod caput aureum statuae, de qua Daniel 1. per Carolum magnum erexit Deus in Francia. Qui cum in occiduis partibus solus regnaret, et studia litterarum vbique essent in obliuione, et cultura Deitatis teperet, contigit duos Scotos monachos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliae deuenire, viros et in saecularibus et in sacris litteris eruditos. Qui cum nil venale ostenderent, ad turbas conuenientes emendi causa, clamare coeperunt: Si quis audis est sapientiae, veniat ad nos, et accipiat eam; nam apud nos est vaenalis. Et sic factum est saepe quibusdam admirantibus, aliis vero putantibus eos esse insanos, donec peruenit hoc ad aures Regis. Ille vero ad se vocatos interrogauit, an sapientiam vere

Comment [c403]: Pg.420

haberent? Cui responderunt, se habere, et in nomine Domini digne quaerentibus se illam dare paratos. Quo quaerente, quid pro ea peterent? responderunt, se petere tria, scilicet loca opportuna, animas ingeniosas, et illa, sine quibus vita ista transigi non potest, scilicet **alimenta**, et quibus tegerentur. Tunc Rex repletus gaudio vtrumque secum retinuit, et postea cum iret ad bella, vnum nomine Clementem Parisiis residere fecit, nobilesque pueros ei commendauit, et vt erat necessarium, victualia ministrari praecepit, habitaculis ad inhabitandum opportunis deputatis; alterum in Italiam direxit, cui monasterium Sancti Augustini iuxta Ticinensem vrbelem delegauit, vbi qui vellent addiscere, possent aggregari ad eum. Audito autem quod Rex gratanter sapientes, et religiosos viros susciperet, venit ad eum Alcuinus cum sociis in omnibus scripturis exercitatus, vtpote doctissimi Bedae discipulus, quem Rex vsque ad finem vitae iugiter retinuit nisi cum ad ingruentia bella procederet: deditque ei Abbatiam Sancti Martini, vt quando esset absens, quiesceret, et ad se confluentes doceret. Et sic Franci aequati sunt Romanis, et Atheniensibus, scilicet quoad gloriam **studiorum** in philosophia, et in artibus liberalibus. Haec ibi. Et de his in parte Helinandus in Chronicis suis.

Comment [c404]: Pg.421

Comment [c405]: Pg.422

## CAP. VII.

### *De renouatione illius ciuitatis.*

10 De ciuitate vero Parisiensi, et studiis eius Boetius in lib. de disciplin. Scholar. cap. 2. post principium. In ciuitate, inquit, Iulii Caesaris, quae Lutetia Parisiorum dicebatur, multos artes mendicare perspeximus etc. vbi expositor ait: quod Iulius ampliauit Parisios, non fundauit: erat enim tunc temporis castrum quoddam Iseos, scilicet, cuiusdam Deae, quia in eo Isis colebatur, quod nunc Meldunum appellatur, situm in medio Secanae, et inde dicebatur *Pariseos*, id est, par Isidi, scilicet illi castro, quod dicebatur *Iseos*, postea vero ampliata est, sicut nunc patet.

## CAP. VIII.

Comment [c406]: Pg.423

### *De idoneitate illius ciuitatis ad opus studentium.*

11 Quam vero apta erat vacantibus studio, narratur in vita. S. Dionysii, vbi dicitur, quod Parisiorum ciuitas, vt sedes regia, et conuentu Gallorum, et Germanorum, et nobilitate pollebat, quia erat salubris aere, iucunda flumine, foecunda terris, arboribus nemorosa, et vineis vberissima, constipata populis, referta commerciis, ac variis comitatibus vnda fluminis circumfluente. Haec ille. Ob loci ergo amoenitatem, et patriae fertilitatem, ac regni pacificam tranquillitatem, et regum consuetam pietatem, ordinate prouidit Deus, quod ibi florerent studia sapientialia.

*De Vaticinio Merlini.*

12 Et sicut ait Alexander Necham vbi supra, iuxta Vaticinium Merlini, vigent stustia ad *Vada boum* in Anglia, tempore suo ad partes Hiberniae transitura.

## EPILOGVS.

13 Laudanda ergo et omni affectu praeconizanda diuina bonitas, quae reuelauit philosophis gentilibus veritates, quae dictae sunt, et dedit eis saltem gratiam gratis datam, et virtutem agendi ea, quae dicta sunt. Haec autem collecta sunt ex vita praedictorum philosophorum, et dictis notabilibus, ac exemplis imitabilibus eorundem, vt philosophantes veraciter in diuina sapientia imitentur eos in praedictis, et habeant in veritate, quae ipsi habuerunt in sua vanitate. Nec glorientur, si fecerint talia ob Dei amorem, et honorem, et ob populi Christiani aedificationem, et suarum animarum salutem, et beatitudinis assecutionem, qualia fecerunt philosophi gentiles ob gloriae vanitatem, vel humanam ostentationem, vel exteriorem honestatem, vel amorem veritatis circa cogitationem rerum, cui studebant. Ita enim persuadet Aug. 5. de ciuit. c. 12. loquens de Romanis, qui **mira** egerunt, et sustinuerunt. Veteres, inquit, Romani laudis auidi, pecuniae liberales erant, ingentem gloriam, diuitias honestas volebant. Hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc viuere voluerunt, propter hanc etiam mori non timuerunt. Et c. 18. enumerans praedictos Romanos, recitat eorum egregia, et mirabilia facinora, ex illis arguens modo praedicto.

14 Si quis ergo dignetur haec ruditer, et inconcinne collecta inspicere, memor sit, antiquos philosophos sua dicta prius tradidisse ruditer, et quod sequentes philosophi artificiose, ordinate, subtiliter, et ornate tradiderunt, quae illi prius minus elaborate, et minus vtiliter ad posteros transmiserunt. Et charitatiue corrigat minus bene dicta; ordinet dicta confuse; suppleat quae desunt; superaddat quae aliis prosunt, ad illius honorem, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae, qui solus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et haec ad praesens sufficiant.

FINIS FLORILEGII.